MAT. VLT.

Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.

Conc. Trid. sess. 7. Can. 13. de Sacramentis in genere.

Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit.

~~1027 : 95~~

'79... 22210

ORDO AD CATECHVMENVM FACIENDVM.

IN primis deferatur infans ad valuas Ecclesiæ, & inquirat Sacerdos ab obstetrice, vtrum sit infans masculus an fœmina. Deinde. Si infans fuerit baptizatus domi: & quo nomine vocari debeat. Licet enim baptizatus fuerit domi propter periculum mortis : tamen totum habeat subsequens seruitium, præter immersionem aquæ, & quo nomine debet vocari. Masculus autem statuatur a dextris Sacerdotis, fœmina verò à sinistris.

His quæsitis faciat signum crucis cum pollice in fronte infantis, ita dicens:

Signum Saluatoris Domini nostri Iesu Christi in frontem tuam pono. Et postea in pectore ita dicens.

Signum Saluatoris Domini nostri Iesu Christi in pectus tuum pono.

Deinde tenens manum dextram super caput infantis dicat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum (vel hanc famulam tuam.)

Hic inquirat Sacerdos nomen infantis, & respondeant patrini.

N. quem (vel quam) ad rudimẽta fidei vocare dignatus es: omnem cæcitatem cordis ab eo (vel ea) expelle, disrumpe omnes laqueos Satanę, quibus fuerit colligatus (vel colligata). Aperi ei Domine ianuam pietatis tuæ, vt signo sapientiæ tuæ imbutus (vel imbuta) omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad suauem odorem præceptorum tuorum lætus (vel læta) tibi in Ecclesia tua deseruiat, & proficiat de die in diem, vt idoneus (vel idonea) efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, percepta medecina. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde dicatur oratio sine Dominus vobiscum.

Oremus.

PRæces nostras quæsumus Domine clementer exaudi, & hunc electum tuum (vel hanc electam tuam)

Hic patrini & matrinæ nominent puerum.

N. Crucis dominicæ, (cuius impressione,

Hic faciat Sacerdos crucem in fronte infantis, cum (vel eam) signamus) virtute custodi, vt magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta seruans, per custodiam mandatorum

tum ad nouæ regenerationis gloriam peruenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

DEus qui humani generis ita es conditor, vt sis etiam reformator: propitiare populis adoptiuis, & nouo testamento sobolem nouæ prolis ascribe, vt filij promissionis, quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant se recepisse per gratiam. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum. Amen.

Exorcismus salis. sine Oremus.

EXorcizo te creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in charitate Domini nostri Iesu Christi, & in virtute Spiritus sancti. Exorcizo te per Deum ✠ viuum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum qui te ad tutelam humani generis procreauit, & populo venienti ad credulitatem, per seruos suos consecrari præcepit, vt in nomine sanctæ Trinitatis efficiaris salutare sacramentum, ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noster vt hanc

Hic respiciat Sacerdos sal,

creaturam salis, sanctificando sancti ✠ fices, benedicendo bene ✠ dicas, vt fiat omnibus accipientibus perfecta medecina permanens in visceribus eorum, virtute eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Iterum interroget Sacerdos nomen pueri, & ponat de ipso sale in ore eius dicens.

N. Accipe sal sapientiæ, vt propitiatus sit tibi Deus in vitam æternam. Amen.

Postea dicat Sacerdos super masculum vel fœminam.

℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus patrum nostrorũ, Deus vniuersæ conditor creaturæ, te supplices exoramus vt hunc famulũ tuũ [vel hanc famulam tuam] N. respicere digneris propitius, & hoc primum pabulum salis gustantem, non diutius esurire permittas, quo minus cibo repleatur cœlesti, quatenus sit semper Domine spiritu feruens, spe gaudens, tuo nomini seruiens, & perduc eum [eam] ad nouæ regenerationis lauacrum, vt cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. Amen.

Sequatur Oratio super masculum tantum, sine Dominus vobiscum sed cum Oremus. Si fuerit fœmina, verte ad pag. 9.

Oremus.

M. DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, & filios Israel de terra Ægipti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte: te quæsumus Domine, vt mittere digneris Angelum tuum de cœlis, qui similiter custodiat hunc famulum tuum N. & perducat eum ad gratiam Baptismi tui. Sine per Christ.

Adiuratio super masculum, sine Dominus vobiscum, & sine

& ſine oremus, Sacerdote dicente.

Ergo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero, da honorem Ieſu Chriſto Filio eius & Spiritui Sancto, & recede ab hoc famulo Dei N. quia iſtum ſibi Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiã & benedictionem, fontemq; Baptiſmatis dono Spiritus Sancti vocare dignatus eſt.

Hic faciat Sacerdos ſignum crucis in fronte infantis cum pollice ſuo, ita dicens:

Et hoc ſignum ſanctæ Cru ✠ cis, quod nos fronti eius imponimus, tu maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Hæc ſequens oratio dicitur ſuper maſculum tantùm, ſine Dominus vobiſcum, & ſine oremus.

DEus immortale præſidium omnium poſtulantium, liberatio ſupplicum, pax rogantium, vita credentium, reſurrectio mortuorum, te inuoco ſuper hunc famulum tuum N. qui Baptiſmi tui donum petens, æternam conſequi gratiam ſpirituali regeneratione deſiderat. Accipe eum Domine, & qui dignatus es dicere, petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis, petenti præmium porrige, & ianuam pande pulſanti, vt æternam cæleſtis lauacri benedictionem conſequutus, promiſſa tui muneris regna percipiat. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum ℟. Amen.

Adiuratio

Adiuratio ſuper maſculum tantum, ſine Dominus vobiſcum, & ſinè Oremus, hoc modo.

AVdi maledicte Satana aduiratus per nomen æterni Dei Saluatoris noſtri Filij eius, cum tua victus inuidia tremens, geménſque diſcede, nihil tibi ſit commune cum ſeruo Dei N. iam cæleſtia cogitanti, renunciaturo tibi, atque ſæculo tuo, & beatæ immortalitati victuro. Da igitur honorem aduenienti Spiritui Sancto, qui ex ſumma cæli arce deſcendens, perturbatis fraudibus tuis, diuino fonte purgatum pectus (id eſt ſanctificatum Deo templum & habitaculum) perficiat, vt ab omnibus penitus noxijs præteritorum criminum liberatus, hic ſeruus Dei, gratias perenni Deo referat ſemper, & benedicat nomen eius ſanctum in ſæcula ſæculorum. Amen.

Exorciſmus ſuper maſculum tantum, ſine oremus.

EXorcizo te immunde ſpiritus in nomine Dei Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ſancti ✠, vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei (reſpice) N. Ipſe enim tibi imperat maledicte, damnate, atque damnande, qui pedibus ſuper mare ambulauit, & Petro mergéti dexteram porrexit.

Sequatur aduratio.

ERgo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero, da honorem Ieſu Chriſto filio eius, & Spiritui ſancto, & recede ab hoc famulo Dei N. quia iſtum ſibi Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem fontemque Baptiſmatis dono Spiritus Sancti vocare dignatus

gnatus est. Et hoc signum sanctæ cru ✠ cis Hic faciat Sacerdos signum crucis in fronte infantis cum pollice quod nos fronti eius imponimus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Verte ad paginam. 11.

Hæc sequens oratio dicatur super fæminam tantum, sine Dominus vobiscum, & sine Oremus.

DEus cæli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus omnium benè viuentiũ, Deus cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum, te inuoco Domine super hanc famulam tuam (respice) N. & perducere eam digneris ad gratiam Baptismi tui.

Sequatur adiuratio super fæminam.

ERgo maledicte diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero, da honorem Iesu Christo Filio eius, & Spiritui Sancto, & recede ab hac famula Dei N. quia istam sibi Deus & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionẽ, fontemque Baptismatis dono Spiritus Sancti vocare dignatus est. Et hoc signum sanctæ cru ✠ cis Hic faciat Sacerdos signum crucis in fronte infantis cum pollice, quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eum qui venturus est iudicare

viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Item super fœminam tantum, dicitur sequens oratio, sine Dominus vobiscum, & sine Oremus.

DEus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus qui Tribus Israel de Ægiptiaca seruitute liberasti, & per Moysen famulum tuum, de custodia mandatorũ tuorum in deserto monuisti, & Susannam de falso crimine liberasti: te supplex deprecor Domine, vt liberes hanc famulam tuam [respice] N. & perducere eam digneris ad gratiam Baptismi tui.

Sequatur adiuratio.

ERgo maledicte diabole recognosce sententiam tuã, & da honorẽ Deo viuo & vero, da honorẽ Iesu Christo Filio eius, & Spiritui Sancto, & recede ab hac famula Dei N. quia istam sibi Deus, & Dominus noster Iesus Christus, ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontémque Baptismatis dono Spiritus Sancti vocare dignatus est. Et hoc signum sanctæ cru ✠ cis, Hic faciat Sacerdos signum crucis in fronte infantis cum pollice suo, quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Exorcismus super fœminam tantum, sine Dominus vobiscum, & sine Oremus.

EXorcizo te immunde spiritus, per Pa ✠ trem, & Fi ✠ lium, & Spiritum ✠ Sanctum, vt exeas & recedas ab hac famula Dei [respice] N. Ipse enim tibi imperat ma-

rat maledicte damnate, atque damnande, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumẽto ſuſcitauit. Sequatur adiuratio.

Ergo maledicte &c. vt ſupra.

Exinde tam ſuper maſculos quam ſuper fœminas dicantur orationes ſequentes, ſine Dominus vobiſcum, & ſine Oremus.

Hic faciat Sacerdos crucem cum pollice in fronte infantis, tenenſque manum ſuper caput eius, dicat.

ÆTernam ac iuſtiſſimam pietatẽ tuam deprecor Domine, ſãcte Pater omnipotẽs, æterne Deus, Auctor luminis & veritatis: reſpice ſuper hunc famulũ tuum (vel hãc famulam tuam [reſpice] N. vt digneris illum (vel illã) illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eum (vel eã) & ſancti ✠ fica, da ei ſcientiam veram, vt dignus (vel digna) efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui: teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, vt aptus (vel apta) ſit ad percipiendam gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Sequatur Exorciſmus, ſine Oremus.

NEc te latet Satana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormẽta, imminere tibi diem iudicij, diem ſupplicij ſempiterni: diem qui venturus eſt velut clibanus ardens: in quo tibi atque vniuerſis angelis tuis æternus ſuperueniet interitus. Et ideo pro tua nequitia, damnate atque damnande, da honorem Deo viuo & vero, da honorem Ieſu Chriſto Filio eius, da honorem Spiritui Sancto

Paracleto, in cuius nomine atque virtute præcipio tibi, quicunque es spiritus immunde, vt exeas & recedas ab hoc famulo [vel ab hac famula] Dei (respice) N. quem [vel quam] hodie idem Deus & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemque Baptismatis vocare dignatus est: vt fiat eius templum per aquam regenerationis, in remissionem omnium peccatorum suorum: In nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

His dictis dicat Sacerdos.

Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Sequentia sancti Euangelij secundum Mattheum.

℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore, Oblati sunt Iesu paruuli, vt manus eis imponeret & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Iesus vero ait eis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnum cœlorum. Et cum imposuisset eis manus, abijt inde. ℟. Laus tibi Christe.

Deinde spuat Sacerdos in sinistra manu, & tangat aures & nares infantis cum pollice suodextero de sputo, dicens ad aurem dexteram. Epheta quod est adaperire. Ad nares, In odorem suauitatis, Ad aurem sinistram, Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim iudicium Dei.

Postea dicat Sacerdos compatribus, & commatribus, vna cum omnibus circumstantibus, vt sequitur.

GOdfathers and Godmothers, and al that be here presẽt, ſay in the vvorship of God, and our B. Ladie and of the tvvelue Apoſtles: a Pater noſter, & Aue Maria: and Credo in Deum: that vve may ſo miniſter this bleſſed Sacrament, that it may be to the pleaſure of almightie God, and confuſion of our ghoſtlie enimie, & ſaluation of the ſoule of this childe.

Eadem etiam ipſe Sacerdos dicat, cunctis audientibus, modeſte & diſtincte.

PAter noſter, qui es in cœlis: ſanctificetur nomen tuũ: adueniat regnum tuum: fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra: panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie: & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: & ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos a malo. Amen.

AVe Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Ieſus. Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.

CRedo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ: & in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicũ Dominum noſtrum: qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine: paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus, deſcendit ad inferos: tertia die reſurrexit a mortuis: aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos: Credo in Spiritum Sanctum: ſanctam Eccle-

Paracleto, in cuius nomine atque virtute præcipio tibi, quicunque es spiritus immunde, vt exeas & recedas ab hoc famulo [vel ab hac famula] Dei (respice) N. quem [vel quam] hodie idem Deus & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemque Baptismatis vocare dignatus est: vt fiat eius templum per aquam regenerationis, in remissionem omnium peccatorum suorum: In nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

His dictis dicat Sacerdos.

Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Sequentia sancti Euangelij secundum Mattheum.

℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore, Oblati sunt Iesu paruuli, vt manus eis imponeret & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Iesus vero ait eis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnum cœlorum. Et cum imposuisset eis manus, abijt inde. ℟. Laus tibi Christe.

Deinde spuat Sacerdos in sinistra manu, & tangat aures & nares infantis cum pollice suodextero de sputo, dicens ad aurem dexteram. Epheta quod est adaperire. Ad nares, In odorem suauitatis. Ad aurem sinistram, Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim iudicium Dei.

Postea dicat Sacerdos compatribus, & commatribus, vna cum omnibus circumstantibus, vt sequitur.

GOdfathers and Godmothers, and al that be here presẽt, ſay in the vvorship of God, and our B. Ladie and of the tvvelue Apoſtles:a Pater noſter, & Aue Maria: and Credo in Deum: that vve may ſo miniſter this bleſſed Sacrament, that it may be to the pleaſure of almightie God, and confuſion of our ghoſtlie enimie, & ſaluation of the ſoule of this childe.

Eadem etiam ipſe Sacerdos dicat, cunctis audientibus, modeſte & diſtincte.

PAter noſter, qui es in cœlis: ſanctificetur nomen tuũ: aduenìat regnum tuum: fiat voluntas tua,ſicut in cœlo & in terra: panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie: & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: & ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos a malo. Amen.

AVe Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Ieſus. Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.

CRedo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ:& in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicũ Dominum noſtrum:qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine: paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus, deſcendit ad inferos: tertia die reſurrexit a mortuis: aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos: Credo in Spiritum Sanctum: ſanctam Eccle-

ſiam Catholicam, ſanctorum communionem: remiſſionem peccatorum: carnis reſurrectionem: vitam æternam. Amen.

His dictis faciat Sacerdos ſignum crucis in manu dextera infantis, interrogato eius nomine, ita dicens.

N. Trado tibi ſignaculum Domini noſtri Ieſu Chriſti in manu tua dextera, vt te ſignes, & te de aduerſa parte repellas, & in fide Catholica permaneas, & habeas vitam æternam, & viuas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſtea benedicat Sacerdos infantem ſic:

Benedictio Dei Patris omnipotentis, & ✠ Filij, & Spiritus Sancti, deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. ℟. Amen.

Poſtea introducat Catechumenum per manum dexteram in Eccleſiam, interrogato nomine eius, dicens.

N. Ingredere in Templum Dei, vt habeas vitam æternam, & viuas in ſæcula ſæculorum. Amen.

BENE-

BENEDICTIO FONTIS.

QVando fuerit Fons mundãdus, & de pura aqua renouandus, (quod ſæpe debet fieri propter aquæ corruptionem) tunc dicatur ſequens Litania, & benedicatur fons modo ſequẽti. Et nota quod aqua Baptiſmatis non debet tranſmutari propter honorem alicuius potentis, niſi fuerit corrupta. Nota etiam, quod aqua benedicta Fontium, in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, non aſpergatur per Eccleſiam, ſed aliqua alia aqua benedicta more ſolito, ſicut in alijs Dominicis diebus. Memorialiter retinendum eſt quod aqua benedicta circa Fontes eſt aſpergenda, ſed non aqua Fõtium, ſiue Chriſmate fuerit ſanctificata, ſiue non. Quoniam in Decretis originalibus ſanctorum Patrum Clementis, & Paſcaſij Papatum, inuenitur, quod aqua Fontium non eſt aqua aſperſionis, ſed Baptiſmatis, & purgationis. Vnde caueat vnuſquiſque Sacerdos, ne illâ aquâ tãgat, niſi quos baptizat: quia non eſt opus vt baptizati iterum baptizentur. Ceſſet ergo ſtulta preſumptionis aſperſio, tã in vigilia Paſchatis & Pentecoſtes, quam in omnibus alijs diebus, quia per Eccleſiam Romanam cunctis chriſtianis ſub pena Excommunicationis maioris eſt inhibita.

SEQVVNTVR LITANIÆ.

KYrie eleiſon.
CHriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
CHriſte audi nos.
PAter de cœlis Deus, Miſerere nobis.
FIli redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
SPiritus Sancte Deus, Miſerere nobis.

Sancta

ſiam Catholicam, ſanctorum communionem: remiſſionem peccatorum: carnis reſurrectionem: vitam æternam. Amen.

His dictis faciat Sacerdos ſignum crucis in manu dextera infantis, interrogato eius nomine, ita dicens.

N. Trado tibi ſignaculum Domini noſtri Ieſu Chriſti in manu tua dextera, vt te ſignes, & te de aduerſa parte repellas, & in fide Catholica permaneas, & habeas vitam æternam, & viuas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſtea benedicat Sacerdos infantem ſic:

Benedictio Dei Patris omnipotentis, & ✠ Filij, & Spiritus Sancti, deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. ℟. **Amen.**

Poſtea introducat Catechumenum per manum dexteram in Eccleſiam, interrogato nomine eius, dicens.

N. Ingredere in Templum Dei, vt habeas vitam æternam, & viuas in ſæcula ſæculorum. Amen.

BENE-

BENEDICTIO FONTIS.

QVando fuerit Fons mundãdus, & de pura aqua renouandus, (quod ſæpe debet fieri propter aquæ corruptionem) tunc dicatur ſequens Litania, & benedicatur fons modo ſequẽti. Et nota quod aqua Baptiſmatis non debet tranſmutari propter honorem alicuius potentis, niſi fuerit corrupta. Nota etiam quod aqua benedicta Fontium, in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, non aſpergatur per Eccleſiam, ſed aliqua alia aqua benedicta more ſolito, ſicut in alijs Dominicis diebus. Memorialiter retinendum eſt quod aqua benedicta circa Fontes eſt aſpergenda, ſed non aqua Fõtium, ſiue Chriſmate fuerit ſanctificata, ſiue non. Quoniam in Decretis originalibus ſanctorum Patrum Clementis, & Paſcaſij Papatum, inuenitur, quod aqua Fontium non eſt aqua aſperſionis, ſed Baptiſmatis, & purgationis. Vnde caueat vnuſquiſque Sacerdos, ne illâ aquâ tãgat, niſi quos baptizat: quia non eſt opus vt baptizati iterum baptizentur. Ceſſet ergo ſtulta preſumptionis aſperſio, tã in vigilia Paſchatis & Pentecoſtes, quam in omnibus alijs diebus, quia per Eccleſiam Romanam cunctis chriſtianis ſub pena Excommunicationis maioris eſt inhibita.

SEQVVNTVR LITANIÆ.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere nobis.

Sancta

S ancta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis.
S ancta Maria, ora pro no.
S ancta Dei genetrix, ora.
S ancta virgo virginū, ora.
S ancte Michael, ora.
S ancte Gabriel, ora.
S ancte Raphael, ora.
O mnes sancti Angeli & Archangeli Dei, orate.
O mnes sancti beatorū spiritum ordines orate.
S ancte Ioannes Baptista, ora pro nobis.
O mnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, orate.
S ancte Petre, ora.
S ancte Paule, ora.
S ancte Andræa, ora.
S ancte Ioannes, ora.
S ancte Iacobe, ora.
S ancte Thoma, ora.
S ancte Philippe, ora.
S ancte Iacobe, ora.
S ancte Matthæe, ora.
S ancte Bartholomæe, ora.
S ancte Simon, ora.
S ancte Thadæe, ora.
S ancte Matthia, ora.
S ancte Barnaba, ora.
S ancte Marce, ora.
S ancte Luca, ora.
O mnes sancti Apostoli & Euangelistæ, orate.
O mnes sancti Discipuli & Innocentes, orate.
S ancte Stephane, ora.
S ancte Line, ora.
S ancte Clete, ora.
S ancte Clemens, ora.
S ancte Fabiane, ora.
S ancte Sebastiane, ora.
S ancte Albane, ora.
S ancte Cosma, ora.
S ancte Damiane, ora.
S ancte Prime, ora.
S ancte Fæliciane, ora.
S ancte Dionisi cum socijs tuis. orate.
S ancte Victor cum socijs tuis, orate.
O mnes sancti Martyres, orate pro nobis.
S ancte Siluester, ora.

S ancte

S ancte Leo, ora.
S ancte Hieronime, ora.
S ancte Auguſtine, ora.
S ancte Iſidore, ora.
S ancte Iuliane, ora.
S ancte Gildarde, ora.
S ancte Medarde, ora.
S ancte Albine, ora.
S ancte Euſebi, ora.
S ancte Suithune, ora.
S ancte Berine, ora.
O mnes ſancti Confeſſores, orate pro nobis.
O mnes ſancti Monachi, & Eremitæ, orate.
S ancta Maria Magdalena, ora pro nobis.
S ancta Maria Ægiptiaca, ora pro nobis.
S ancta Margareta, ora.
S ancta Scholaſtica, ora.
S ancta Petronella, ora.
S ancta Genouefa, ora.
S ancta Praxedes, ora.
S ancta Sotheris, ora.
S ancta Priſca, ora.
S ancta Thecla, ora.
S ancta Afra, ora.
S ancta Editha, ora.
O mnes ſanctæ Virgines, orate pro nobis.
O mnes Sancti, & Sanctæ, Dei, orate pro nobis.

His ita completis, accedat Sacerdos ad Fontium conſecrationem, quæ ſemper dicatur ſine cantu, niſi tantum in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes. Tunc enim cantata ſecunda Litania, incipiat Sacerdos ad hunc locum cantare modeſta voce.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, adeſto magnæ pietatis tuæ myſterijs, adeſto ſacramentis: & ad recreandos nouos populos, quos tibi fons Baptiſmatis parturit,

ſpiritum adoptionis emitte: vt quod noſtræ humanitatis gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Surſum corda ℟. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℟. Dignum & iuſtum eſt.

Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare: nos tibi ſemper & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens æterne Deus. Qui inuiſibili potentia, ſacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum. Et licet nos tantis myſterijs exequendis ſimus indigni: tu tamen gratiæ tuæ dona non deſerens, etiam ad noſtras preces aures tuæ pietatis inclines. Deus cuius Spiritus ſuper aquas inter ipſa mundi primordia ferebatur: vt iam tunc virtutem ſanctificationis aquarum natura conciperet. Deus qui nocentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis ſpeciem in ipſa diluuij effuſione ſignaſti: vt vnius eiuſdemq; elementi myſterio, & finis eſſet vitijs, & origo virtutibus. Reſpice quæſumus Domine in faciem Eccleſiæ tuæ, & multiplica in ea regeſierationes tuas, qui gratiæ tuæ affluentis impetu lætificas ciuitatem tuam, fontemq; Baptiſmatis aperis, toto orbe terrarum gentibus inuocandis; vt tuæ majeſtatis imperio, ſumat vnigeniti tui gratiam de Spiritu Sancto.

Hic Sacerdos diuidat aquam manu sua dextera in modum crucis sic dicens:

Qui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam, arcana sui luminis admistione fæcundet: vt sanctificatione concepta, ab immaculato diuini fontis vtero, innouâ, renata creaturam, progenies cœlestis emergat. Et quos aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, omnes in vnam pariat gratia mater infantiam. Procul ergo hinc iubéte te Domine omnis spiritus immundus abscedat: procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat. Nihil hic loci habeat contrariæ virtutis admistio: non insidiando circumuolet, non latendo surrepat, non inficiendo corrumpat. Sit hæc sancta & innocens creatura, libera ab omni impugnatoris incursu, & totius nequitiæ purgata discessu. Sit fons viuus, aqua regenerans, vnda purificans: vt omnes hoc lauacro salutifero diluendi, operante in eis Spiritu Sancto, perfectæ purgationis indulgentiam cõsequantur. Vnde bene✠dico te creatura aquæ: per Deum ✠ viuum: per Deum ✠ verum: per Deum ✠ sanctum: per Deum qui te in principio, verbo separauit ab arida: cuius Spiritus super te ferebatur. Qui te de paradiso manare fecit, & in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit.

Hic ejiciat Sacerdos aquam de fonte per quatuor partes, cum manu dextera in modum crucis.

Qui te in deserto amaram, suauitate indita fecit esse potabilem, & sitienti populo de petra produxit. Bene✠dico

te per Iesum Christum Filium eius vnicum Dominũ nostrum: qui te in Cana Galileæ signo admirabili, sua potentia conuertit in vinum. Qui pedibus super te ambulauit, & a Ioanne in Iordane in te baptizatus est. Qui te vna cum sanguine de latere suo produxit, & Discipulis iussit vt credentes baptizarentur in te dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ Sancti. Hæc nobis præcepta seruantibus, tu Deus omnipotens, clemens adesto: tu benignus aspira.

Hic aspiret Sacerdos ter in fontem, in modum crucis: deinde dicat sic:

Tu has simplices aquas tuo ore benedicito: vt præter naturalem emundationem, quam lauandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces.

Hic stillet Sacerdos de Cereo in fontem in modum crucis: postea dicat:

Descendat in hanc plenitudinem fontis, virtus Spiritus Sancti, totamq; huius aquæ substantiam regenerandi fœcundet effectu.

Hic diuidat Sacerdos aquam cum Cereo in fonte, in modum crucis dicens:

Hic omnium peccatorum maculæ deleantur: hic natura ad imaginem tuam condita, & ad honorem sui reformata principij, cunctis vetustatis squaloribus emundetur.

Hic tollat Sacerdos Cereum de aqua, & tradat Clerico, a quo ibidem contra fontes teneatur, donec finiatur tota præfatio.

Vt om-

Vt omnis homo hoc Sacramentum regenerationis ingressus, in veræ innocentiæ nouam infantiam renascatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Non procedatur vlterius in hoc officio in vigilia Paschæ & Pentecostes, nisi aliquis sit baptizandus: vt postea patebit.

Nota quod in vigilia Paschæ, & Pentecostes consecratis fontibus non infundetur Oleum neque Chrisma, nisi adsint aliqui qui debeant baptizari, sed linteamine mundo cooperiantur, & vsque ad Completorium Paschæ vel Pentecostes reseruentur: vt si forte his diebus aliquis baptizandus aduenerit (fœcundatis & sanctificatis fontibus tunc Olei & Chrismatis infusione) baptizetur.

Post hæc mittat Sacerdos Oleum sanctum cum ipsa billione, quæ est in vase eius, in aquam, signum crucis faciens & dicens:

Coniunctio Olei Vnctionis, & aquæ Baptismatis: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Simili modo mittat Chrisma dicens:

Fœcúdetur, & sanctificetur fons iste, hoc salutifero Chrismate salutis: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Postea mittat simul Oleum cum Chrismate modo supradicto dicens:

Coniunctio Chrismatis sanctificationis, & Olei Vnctionis, & aquæ Baptismatis: In nomine Patris, & Filij, & Spi-

ritus Sancti. Amen.

Ritus Baptizandi.

Tunc portetur infans ad fontes ab his qui eum susceptùri sunt ad Baptismum: ipsisque eundem puerum super fontes inter manus tenentibus, ponat Sacerdos manum dexteram super eum, & interrogato eius nomine, respondeat qui eum tenet,

N. Item Sacerdos dicat.

N. Abrenuncias Satanæ?

Respondeant compatrini & commatrinæ.

Abrenuncio. Item Sacerdos.

Et omnibus operibus eius? ℟. Abrenuncio.

Item Sacerdos.

Et omnibus pompis eius? ℟. Abrenuncio.

Postea tangat Sacerdos pectus infantis, & inter scapulas de oleo sancto, crucem faciens cum pollice dicens.

N. Et ego lineo te super pectus oleo salutis, & inter scapulas, in Christo Iesu Domino nostro, vt habeas vitam æternam & viuas in sæcula sæculorum. Amen.

Deindè interrogato nomine eius, respondeant. N.

Item Sacerdos.

N. Credis in Deum patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ?

Respondeant; Credo. Item Sacerdos.

Credis & in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum, natum & passum? Respondeant; Credo.

Item Sacerdos.

Credis & in Spiritum Sanctum: Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum cõmunionem: Remissionem peccatorum: carnis resurrectionem, & vitam æternam post mortem: Respondeant, Credo.

Tunc Sacerdos dicat:

N. Quid petis? Respondeant, Baptismum. Itẽ Sacerdos. Vis Baptizari? Respondeant, Volo.

Deindè accipiat Sacerdos infantem per latera in manibus suis, & interrogato nomine eius, baptizet eum sub trina immersione, sanctam Trinitatem inuocando, ita dicens.

N. Et ego Baptizo te in nomine Patris,

Et mergat eum semel versa facie ad aquilonem, & capite versus orientem.

& Filij, Iterum mergat semel, versa facie ad meridiem. **& Spiritus Sancti. Amen.**

Et mergat tertio recta facie versus aquam.

Tunc patrini accipientes infantem de manibus Sacerdotis leuent eum de fonte. Vt autem surrexit a fonte, accipiat Sacerdos de Chrismate cum pollice suo dicens:

Dominus vobiscum ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum tuorum,

Hic lineat infantem de ipso Chrismate cum pollice in vertic

vertice in modum crucis, dicens:

Ipse te liniat Chrismate salutis in eodem Filio suo Domino nostro Iesu Christo in vitam æternam.

Postea induatur infans veste Chrismali, Sacerdote interrogante nomen eius & dicente sic:

N. Accipe vestem candidam, sanctam, & immaculatam: quam perferas ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, vt habeas vitam æternam, & viuas in sæcula sæculorum. Amen.

Licitum est autem pannum Chrismalem secundo linire Chrismate, & super alium baptizatum immittere: tamen ad communes vsus non debet pannus ille assumi, sed ad Ecclesiam reportari & in vsus Ecclesiæ reseruari.

Deinde quæsito nomine ponat Cereum ardentem in manu infantis dicens:

N. Accipe lampadem ardentem & irreprehensibilem, custodi Baptismum tuum, serua mandata: vt cum venerit Dominus ad nuptias, possis ei occurrere vna cum Sanctis in aula cœlesti: vt habeas vitam æternam, & viuas in sæcula sæculorum. Amen.

Si Episcopus adest statim cum confirmari oportet, & postea communicari si ætas eius id deposcat, Sacerdote dicente:

Corpus Domini nostri Iesu Christi, custodiat corpus tuũ & animam tuam in vitam æternam. Amen.

Si infans sit, iniungatur patri & matri, vt conseruent puerum ab igne

igne & aqua, & omnibus alijs periculis, vsque ad ætatem septem annorum: & si ipsi non faciant, patrini & matrinæ tenentur. Item compatribus & commatribus iniungatur, vt doceant infantem Pater noster, Aue Maria, & Credo in Deum, vel doceri faciat; & Quod Chrismate deferat ad Ecclesiam; & quod confirmetur infans quam cito Episcopus aduenerit, circa eas partes per septem miliaria. hoc modo.

GOdfathers, & Godmothers of this childe, we charge you, that you charge the father & mother to keepe it from fire and water, and other perils, to the age of seauen yeares; and that you teach, or see it be taught the Pater noster, Aue Maria, and Credo: according to the law of holie Church, and with conuenient speede to be confirmed, of my Lord of the Diocese, or his deputie; and that the mother bring againe the chrisome at her purification. And wash your hands ere you depart the Church.

Deindé dicatur hoc sequens Euangelium super infantem (si placuerit), quia secundum Doctores maxime valet pro morbo caduco.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Sequentia sancti Euangelij secundum Marcum.

℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore: Respondens vnus de turba dixit ad Iesum, Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum: qui vbicunque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit: &

dixi discipulis tuis vt eijcerent illum, & non potuerunt. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me. Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbauit illum: & elisus in terram, volutabatur spumans. Et interrogauit patrem eius. Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit: At ille ait. Ab infantia. Et frequenter eum in ignem & in aquas misit vt eum perderet. Sed si quid potes, adiuua nos misertus nostri. Iesus autem ait illi. Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri cum lachrymis aiebat. Credo, domine: adiuua incredulitatem meam. Et cum videret Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo dicens illi. Surde & mute spiritus, ego tibi precipio exi ab eo: & amplius ne introeas in eum. Et clamans & multum discerpens eum, exijt ab eo: Et factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent: Quia mortuus est. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit. Et cum introisset in domum, discipuli eius secretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus eijcere eum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & ieiunio.

Et postea dicatur hoc Euangelium sequens, sub forma prædicta, videlicet. Secundum Ioannem.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbū. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sinè ipso factum est nihil, quod

quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a patre plenum gratiæ, & veritatis.

Notandum est quod quilibet Sacerdos parochialis debet parochianis suis formam baptizandi in aqua pura, naturali, & recenti, & non in alio liquore, frequenter in diebus Dominicis exponere: vt si necessitas emergat, sciant paruulos in forma Ecclesiæ baptizare, proferendo formam verborum Baptismi in lingua materna distinctè, & apertè, & solum vnica voce nullo modo iterando verba illa vice semel prolata, vel similia super eundem: sed sine aliqua additione, subtractione, interruptione, verbi pro verbo positione, mutatione, corruptione, seu transpositione sic dicendo:

I Christen thee N. in the name of the Father, and of the Sonne, and of the holy Ghost. Amen.

Vel in lingua latina sic.

Ego baptizo te N. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Aquam super paruulum spargendo, vel in aquam mergendo ter vel saltem semel.

Et si puer fuerit baptizatus, secundum illam formam, caueat sibi vnusquisque, ne iterum eundem baptizat: Sed si huiusmodi paruuli conualescat deferantur ad ecclesiam, & dicatur super eos Exorcismi & Catechismi cum Vnctionibus & omnibus alijs supradictis præter immersionem aquæ & formam baptismi, quæ omnino sunt omittenda: videlicet: Quid petis & ab hinc vsque ad illum locum quo Sacerdos debeat paruulum Chrismate linire. Et ideo si laicus baptizauerit puerum, antequam deferatur ad Ecclesiam interroget Sacerdos diligenter quid dixerit, & quid fecerit: & si inuenerit laicum discretè & debito modo baptizasse, & formam verborum Baptismi vt supra in suo idiomate integre protulisse, approbet factum, & non rebaptizet eum. Si vero dubitet rationabiliter Sacerdos vtrum infans ad baptizandum sibi oblatus prius in forma debita fuerit baptizatus vel non: debet omnia perficere cum eo sicut cum alio quem constat sibi non baptizatum, præterquam quod verba sacramentalia essentialia proferre debeat sub conditione hoc modo dicendo.

N. Si baptizatus es, ego non rebaptizo te: sed si nondum baptizatus es, ego baptizo te, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Sub aspersione vel immersione vt supra.

Et est

Et eſt obſeruandum tam de Baptiſmate quam de Cõfirmatione, quod quandocunque dubitatur, ſine dubitatione conferantur, quia non dicitur iteratum quod neſcitur fuiſſe collatum. Et ideo ſub forma prædicta baptizantur infantes expoſiti, de quorum Baptiſmo probabiliter dubitatur, ſiue inueniantur cum ſale, ſiue ſine ſale.

Notandum eſt etiam quod ſi infans ſit in periculo mortis, tunc primo introducatur ad fontem, & poſtea baptizetur incipiendo ad hunc locum. Quid petis. Et ſi poſt Baptiſmum vixerit habeat totum reſiduum ſeruitium ſupradictum.

Hoc autem in quolibet Sacramento obſeruetur, quod quandocunque periculum videtur imminere, ſemper incipiatur ad ſubſtantiam illius Sacramenti, & poſtea reſiduum compleatur ſi poterit.

Non licet aliquem baptizare in aula, camera, vel aliquo loco priuato, ſed duntaxat in Eccleſijs in quibus ſunt fontes ad hoc ſpecialiter ordinati, niſi fuerit filius Regis, vel Principis, aut talis neceſsitas emerſerit, propter quam ad Eccleſiam acceſſus abſq; periculo haberi non poteſt.

Presbyter autem ſi poterit ſemper habeat fontem lapideum, integram, & honeſtam, ad bapizandum: Si autem nequiuerit, habeat vas conueniens ad baptiſmum, quod alijs vſibus nullatenus deputetur, nec extra Eccleſiam deportetur.

Solemnis Baptiſmus celebrari ſolet in Sabbato ſancto Paſchæ, & in vigilia Pentecoſtes: & ideo pueri nati infra octo dies ante Paſcha, vel infra octo dies ante Pentecoſten, debent reſeruari ad baptizandum in Sabbato ſancto Paſchæ, vel in vigilia Pen-

tecostes, si commode, & sine periculo valeant reseruari. Ita quod tempore medio inter natiuitatem puerorum & huius Baptismi perfectum recipiant Catechismum, solaque diebus prædictis Baptismi (consecratis fontibus) immersio fit facienda.

Alij autem qui alijs anni temporibus nati extiterint, incontinenter cum nati fuerint, propter mortale periculum (quod sæpe pueris imminet improuisum) baptizentur.

Veruntamen in Sabbato sancto Paschæ, & in vigilia Pentecostes peracta consecratione fontium non infundatur oleum neque Chrisma, nec vlterius in officio Baptismi procedatur, nisi forte aliquis adsit baptizandus: sed linteamine mundo cooperiantur, & vsque ad cõpletoriũ Paschæ & Pentecostes reseruentur, vt si fortè his diebus aliquis baptizãdus aduenerit, fœcundatis & sanctificatis fontibus Olei & Chrismatis infusione baptizetur.

Et nota quod de aqua sanctificata in fonte Baptismali in Sabbato sancto Paschæ, & in vigilia Pentecostes, nunquam debet populus aspergi nec post aquæ Chrismationem nec antè.

Non licet laico vel mulieri aliquem baptizare nisi in articulo necessitatis. Si vero vir & mulier adessent vti immineret necessitatis articulus baptizandi puerum, & non esset alius minister ad hoc magis idoneus presens, vir baptizet & non mulier, nisi fortè mulier bene sciret verba sacramentalia & non vir, vel aliud impedimentum subesset.

Similiter pater vel mater non debet proprium filium de sacro fonte leuare, nec baptizare, nisi in extremæ necessitatis articulo: tunc enim bene possunt sine præiudicio copulæ coniugalis ipsum baptizare, nisi fuerit aliquis alius præsens qui hoc facere sciret & vellet.

Preterea

Preterea vir & vxor non debent simul tenere puerum alterius de sacro fonte.

Nulli religiosi debent admitti in patrinos, quod etiam de Monialibus obseruandum est.

Viri autem & mulieres qui suscipiũt pueros de Baptismo, cõstituuntur eorum fideiussores apud Deum: & ideo frequẽter debẽt eos admonere cum adulti fuerint, seu disciplinæ capaces, vt castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant & ante omnia orationẽ Dominicalem, salutationẽ Angelicam, Symbolum fidei & signaculo sanctæ crucis se signare, eos docere tenẽtur.

Vnde non debent recipi in patrinos, nec admittantur nisi qui sciunt prædicta: quia patrini debent instruere filios suos spirituales in fide, quod facere non possunt nisi ipsimet in fide prius instructi sint.

Si baptizandus non poterit loqui, vel quia paruulus, vel quia mutus, vel quia ægrotans, aut aliundè impotens, tunc debent patrini pro eis respondere ad omnes interrogationes in Baptismo. Si autem loqui poterit, tunc pro seipso respondeat, ad singulas interrogationes, nisi ad interrogationem sui nominis tantum, ad quas semper patrini sui respondeant pro eo.

Qui suscipiunt pueros de sacro fonte non debent eos tenere coram Episcopo in Confirmatione nisi cogente necessitate.

Non plures quam vnus vir, & vna mulier debent accedere ad suscipiendum paruulum de sacro fonte: vnde plures ad hoc simul accedentes peccant faciendo contra prohibitionem canonis, nisi alia fuerit consuetudo approbata: tamen vltra tres amplius ad hoc nullatenus recipiantur.

Mone-

Monendi sunt etiam laici quod paruuli sui confirmati, tertia die post confirmationem deportentur ad Ecclesiam: & frontes eorum per manus Sacerdotis propter Chrismatis reuerentiam in Baptisterio abluantur, & ligaturæ eorum tunc igne comburantur.

Item nullus debet admitti ad Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi Jesu, extra mortis articulum, nisi fuerit confirmatus, vel a receptione sacramenti Confirmationis fuerit rationabiliter impeditus.

Non debet Sacerdos parochialis esse sine Chrismate: sed debet quilibet Sacerdos parochialis suo Episcopo, non ab alio, in propria persona sua, vel per alium Sacerdotem, Diaconum, vel Subdiaconum Chrisma petere singulis annis ante Pascha.

Sacerdos qui de veteri Chrismate vngit baptizatum, nisi in articulo necessitatis, deponendus est: & ideo debet omni die cœnæ Domini in nouum Chrisma ab Episcopo confici, & vetus remoueri, & concremari.

Item tam sacrum Oleum quam Chrisma, sub fideli custodia clauii adhibita debent obseruari, ne ad illa possit manus temeraria extendi ad aliqua nefaria exercenda.

Nota quod tempore interdicti generalis, licitè possunt conferri Baptismus & Confirmatio tam adulti: quam paruulis, sed non cum pulsatis Campanis, neque alta voce.

ORDO

ORDO AD PVRIFICANDAM MVLIEREM

Post partum antè ostium Ecclesiæ.

Primo Sacerdos & ministri eius dicant Psalmos sequentes. Psal. 120.

LEuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi.

AUxilium meum à Domino: qui fecit cœlum & terram.

NOn det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

ECce non dormitabit neq; dormiet: qui custodit Israel.

DOminus custodit te, Dominus protectio tua: super manum dexteram tuam.

PEr diem sol non vret te: neque luna per noctem.

DOminus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

DOminus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc, & vsque in sæculum.

GLoria Patri & Filio, &c. SIcut erat, &c.

Psal. 127.

BEati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in vijs eius.

LAbores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

VXor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.

Filij tui sicut nouellæ oliuarum: in circuitu mensæ tuæ.
Ecce sic benedicetur homo: qui timet Dominum.
Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.
Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.
Gloria patri, & Filio, &c. Sequatur.
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Domine saluam fac ancillam tuam. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationẽ meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus

DEus qui hanc famulam tuam de pariendi periculo liberasti, & eam in seruitio tuo deuotam esse fecisti: concede vt temporali cursu fideliter peracto, sub alis misericordiæ tuæ vitam perpetuam & quietam consequatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Tunc aspergatur mulier aqua benedicta. Deinde inducat eam Sacerdos per manum dexteram in Ecclesiam, dicens.

Ingredere in templum Dei vt habeas vitam æternam, & viuas in sæcula sæculorum. Amen.

Nota quod mulieres post prolem emissam, quandocunque Ecclesiam intrare voluerint acturæ gratias, purificari possunt, & nullâ proindè peccati mole grauantur: nec Ecclesiarum aditus est

tus est eis denegandus, ne pœna illis conuerti videatur in culpam. Si tamen ex veneratione voluerint aliquandiu abstinere, deuotionem earum non credimus improbandam. De purificatione post partum, cap. vnico.

ORDO AD FACIENDVM SPONSALIA.

siue Matrimonium.

IN primis statuantur vir & mulier ante ostium Ecclesiæ coram Deo, Sacerdote & populo, vir a dextris mulieris, & mulier a sinistris viri.

Et sciendum est quod licet omni tempore possint contrahi Sponsalia & etiam Matrimonium, quod fit priuatim solo consensu, tamen traditio vxorum, & nuptiarum solemnitas certis temporibus fieri prohibentur: videlicet ab Aduentu Domini vsque ad octauam Epiphaniæ, & à Septuagesima vsque ad octauam Paschæ, & à Dominica ante Ascensionem Domini, vsque ad octauam Pentecostes. In die tamen octaua Epiphaniæ licitè possunt nuptiæ celebrari, quia non inuenitur prohibitum, quamuis in Octauis Paschæ hoc facere non liceat. Similiter in Dominica proxima post festum Pentecostes licitè celebrantur nuptiæ, quia dies Pentecostes octauam diem non habet.

Tunc interroget Sacerdos Banna dicens in lingua materna sub hac forma.

Ecce conuenimus huc fratres coram Deo, Angelis, & omnibus Sanctis eius in facie Ecclesiæ, ad coniungẽdum

duo corpora, scilicet huius viri, & huius mulieris, Hic respiciat Sacerdos personas, vt amodò sint vna caro, & duæ animæ, in fide, & in lege Dei, ad promerendam simul vitam æternam, quicquid antè hoc fecerint. Admoneo igitur vos omnes, vt si quis ex vobis aliquid dicere sciat, quare isti adolescentes legitimè contrahere non possint, modo confiteatur.

Eadem admonitio fiat ad virum, & ad mulierem, vt si quid ab illis occultè actum fuerit, vel si quid deuouerint, vel alio modo de se nouerint, quare legitimè contrahere non possunt, tunc confiteantur.

Si vero aliquis impedimentum aliquod proponere voluerit, & ad hoc probandum cautionem præstiterit, differantur Sponsalia, quousque rei veritas cognoscatur. Si verò nullus impedimentum proponere voluerit, interroget Sacerdos dotem mulieris, videlicet arras sponsales: & dicuntur arræ annuli vel pecuniæ, vel aliæ res dandæ sponsæ per sponsum. Quæ datio subarratio dicitur, quando fit per annuli dationem, & tunc vulgariter desponsatio vocatur.

Non fidabit Sacerdos, nec consentiet ad fidationem inter virum & mulierem, ante tertium dictum bonnorum. Debet enim Sacerdos banna in facie Ecclesiæ infra Missarum solemnia, cum maior populi adfuerit multitudo, per tres dies solennes, & disiunctos, interrogare: ita vt inter vnumquemq; diem solennem cadat ad minus vna dies.

Debet etiam Sacerdos terminum præfigere competentem, infra quem qui voluerit & valuerit, legittimũ opponat impedimentum: &

tum: & si contrahentes diuersarum sint parochiarum, tunc in vtraque Ecclesia parochiarum illarum sunt Banna interrogãda. Si autem vnius & eiusdem sint parochiæ, tunc tantum in Ecclesia illius parochiæ banna interrogentur.

Sacerdos vero qui contractibus matrimonialibus antè trinam solennem interrogationem bannorum, vt prædictum est, præsumpserit interesse, pœnam suspensionis ab officio per triennium incurrit.

Similiter Sacerdos parochialis qui Matrimonia clandestina, in parochia sua prohibere contempserit, ab officio per triennium debet suspendi, & grauius est puniendus si culpæ qualitas id requirat. Prohibentur autem clãdestina Matrimonia duplici ratione: videlicet, ne sub specie Matrimonij committatur fornicatio, & ne Matrimonialiter coniuncti iniustè separentur. Sæpe enim in Matrimonio occulto alter coniugum mutat propositum, & dimittit alterum probationibus destitutum, & sine remedio restitutionis. Et ideo prohibeant Sacerdotes frequenter parochianos suos, ne dent sibi fidem mutuò, sed coram publicis & honestis personis ad hoc constitutis.

Quisquis etiam Sacerdos, seu sæcularis, seu regularis extiterit, qui solemnizationem Matrimonij extra Ecclesiam parochialem, vel capellam habentem iura parochiæ, sibi ab antiquo competentia, absque Diocæsani loci licentia speciali, celebrare præsumpserit, aut celebrationi interesse, ipso facto per annum integrum ab officio est suspensus.

Postea dicat Sacerdos ad virum cunctis audientibus in lingua materna sic.

N. vis habere hanc mulierem in sponsam, & eam diligere, honorare, tenere, & custodire sanam & infirmam, sicut sponsus debet sponsam, & omnes alias propter eam dimittere, & illi soli adhærere quamdiu vita vtriusque vestrum durauerit?

Respondeat vir. Volo.

Item dicat Sacerdos ad mulierem hoc modo.

N. vis habere hunc virum in sponsum & ei obedire, & seruire, & eum diligere, honorare, ac custodire sanum & infirmum, sicut sponsa debet sponsum, & omnes alios propter eum dimittere, & illi soli adhærere quamdiu vita vtriusque vestrum durauerit?

Respondeat mulier. Volo.

Deinde detur fœmina a patre suo, vel ab amicis eius. Quod si puella sit, discoopertam habeat manum, si vidua tectam. Vir eam recipiat in Dei fide & sua seruandam, sicut vouit coram Sacerdote, & teneat eam per manũ suam dexteram in manu sua dextera, & sic det fidem mulieri per verba de presenti ita dicens, docente Sacerdote.

I N. take thee N. to my wedded wife, to haue & to hold, from this day forward, for better, for worse, for richer, for poorer, in sickneſſe and in health, til death vs depart, if holie Church wil it permit, and therto I plight thee my troth. Manum retrahendo.

Deinde dicat mulier docente Sacerdote.

IN

I N. take thee N. to my wedded husband, to haue and to hold, from this day forward, for better, for worse, for richer, for poorer, in sickneſſe & in health, to be bonnair *Meeke* and buxom, in bed and at boord til death vs depart, if *Obedient* holy Church vvil it permit, and therto I plight thee my troth. Manum retrahendo.

Deinde ponat vir aurum, argentum, & annulum ſuper ſcutam, vel librum, & quærat Sacerdos ſi annulus antea fuerit benedictus, vel non? Si dicatur quod non, tunc benedicat Sacerdos annulum hoc modo.

D ominus vobiſcum. ℟. E t cum ſpiritu tuo.

Oremus.

C Reator & conſeruator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, largitor æternæ ſalutis, tu Domine mitte benedictionem tuam ſuper hunc annulum, [reſpice] vt quæ illum geſtauerit ſit armata virtute cæleſtis defenſionis, & proficiat illi ad æternam ſalutem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. A men.

Oremus.

B Ene ✝ dic Domine hunc annulum [reſpice] quem nos in tuo ſancto nomine benedicimus, vt quæcunque eum portauerit in tua pace conſiſtat, & in tua voluntate permaneat, & in tuo amore viuat, & creſcat, & ſeneſcat, & multiplicetur in longitudinem dierum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. A men.

Tunc aſpergatur aqua benedicta ſuper annulum.

Si autem antea fuerit annulus ille benedictus, tunc ſta-

tim po-

tim postquam vir posuerit annulum super librum, accipiens Sacerdos annulum tradat ipsum viro: quem vir accipiat manu sua dextera, cum tribus principalioribus digitis & manu sua sinistra tenens dexteram sponsæ, docente Sacerdote dicat:

With this ring I thee wed, this gold and siluer I thee giue, and with my bodie I thee worshippe, & with al my wordly goodes I thee endew.

Tunc inserat sponsus annulum pollici sponsæ dicens: In nomine Patris. Deinde secundo digito, dicens: & Filij. Deinde tertio digito, dicens: & Spiritus Sancti. Deinde quarto digito, dicens: Amen. Ibique dimittat annulum. Quia in medico est quædam vena procedens vsque ad cor, & in sonoritate argenti designatur interna dilectio, quæ semper inter eos debet esse recens.

Deinde inclinatis eorum capitibus, dicat Sacerdos benedictionem super eos.

Benedicti ✠ sitis a Domino, qui fecit mundum ex nihilo. Amen.

Postea dicatur Psalmus sequens. Psal. 67.

MAnda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

A Templo tuo in Hierusalem: tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludãt eos qui probati sunt argento.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Kyrie

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Benedicamus Patrem, & Filium, cum ſancto Spiritu. ℟. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. ℣. Laudemus Dominum quem laudant Angeli. ℟. Quem Cherubin & Seraphin, Sanctus, Sanctus, Sanctus, proclamant. ℣. Domine exaudi orationem meam ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob ſit vobiſcum: & ipſe vos coniungat, & impleat benedictionem ſuam in vobis. Qui viuit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia oratio cum Oremus.

BEne ✠ dicat vos Deus pater, cuſtodiat vos Ieſus Chriſtus, illuminet vos Spiritus Sanctus. Oſtendat Dominus faciem ſuam in vobis & miſereatur veſtri. Conuertat Dominus vultum ſuum ad vos, & det vobis pacem, impleatque vos omni benedictione ſpirituali in remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum, vt habeatis vitam æternam, & viuatis in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hic intrent Eccleſiam vſque ad gradum altaris, & Sacerdos in eundo cum ſuis miniſtris dicat hunc pſalmum ſequentem. Pſal. 127.

BEati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in vijs eius.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

Vxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.

Filij tui sicut nouellæ oliuarum: in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo: qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videos bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem super Israel.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Tunc prostratis sponso & sponsa ante gradum altaris, roget Sacerdos circumstantes orare pro eis dicendo:

Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Saluum fac seruum tuũ & ancillã tuam. ℟. Deus meus sperantes in te. ℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

BEne✠dicat vos Dominus ex Sion, vt videatis quæ bona sunt Hierusalem omnibus diebus vitæ vestræ: & videatis filios filiorum vestrorum, & pacem super Israel. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, bene ✠ dic adolescentes istos, & semina semen vitæ æternæ in

mentibus

mentibus eorum: vt quicquid pro vtilitate ſua dedicerẽt, hoc facere cupiant. Per Ieſum Chriſtum filium tuum recuperatorem hominum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

REſpice Domine de cælis, & bene ✠ dic conuentionem iſtam. Et ſicut miſiſti ſanctum Angelum tuum Raphaelem ad Tobiam & Saram filiam Raguelis: ita digneris Domine mittere bene ✠ dictionẽ tuam ſuper iſtos adoleſcentes, vt in tua voluntate permaneant, & in tua ſecuritate perſiſtant, & in amore tuo viuant & ſeneſcant: vt digni atque pacifici fiant & multiplicentur in longitudinem dierum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

REſpice Domine propitius ſuper hunc famulũ tuum [reſpice] & ſuper hanc famulam tuam [reſpice] vt in nomine tuo bene ✠ dictionem cæleſtem accipiant, & filios filiorum ſuorum & filiarũ ſuarum vſque ad tertiam & quartam progeniem incolumes videant, & in tua voluntate perſeuerent, & in futuro ad cæleſtia regna perueniant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui primos parentes noſtros Adam & Euam ſua virtute creauit, & in ſua ſanctificatione copulauit, ipſe corda & corpora veſtra ſanctificet & bene ✠ dicat, atque in ſocietate & amore veræ dilectionis coniungat. Per Chriſtũ Dominũ noſtrũ. Amẽ.

Deinde benedicat eos dicens, Oremus.

BEne✠dicat vos Deus omnipotēs omni bene ✠ dictione cælesti, efficiatq; vos dignos in conspectu suo, superabundet in vobis diuitias gratiæ suæ, & erudiat vos in verbo veritatis, vt ei corpore pariter & mente complacere valeatis. Per Dominum nostrum Iesum Christum &c. Amen.

Finitis orationibus quæ dicebantur super eos prostratos ad gradum altaris, & introductis illis in presbyterium (scilicet inter chorum & altare) ex parte Ecclesiæ australi, & statuta muliere a dextris viri (videlicet inter ipsum & altare) incipiatur Missa.

Nota quod ordo thuris benedicti nunquam datur in Ecclesia sponso & sponsæ. Inde est quod oblato thure benedicto super altare, si descendat thuribulus ad clericos, vel ad laicos, aliud thus est apponendum & hominibus offerendum.

Post Sanctus, prosternant se sponsus & sponsa in oratione ad gradum altaris, extenso super eos pallio, quod teneant quatuor clerici per quatuor cornua, in superpelliceis: nisi alter eorum prius fuerit desponsatus & benedictus, quia tunc non habeatur pallium super eos, nec dicatur Sacramentalis benedictio, vt postea patebit.

Deinde dicto, Per omnia sæcula sæculorum, Amen, post Pater noster, antequam dicatur: Pax Domini sit semper vobiscum, facta fractione Eucharistiæ more solito, dimissaque hostia in tribus fractionibus super patenam: dicat Sacerdos conuersus ad illos, orationes sequentes, illis interim

terim genu flectentibus sub pallio, Sacerdote sic dicente.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris, & institutis tuis quibus propagationem humani generis ordinasti benignus assiste: vt quod te auctore coniungitur, te auxiliante seruetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Oremus.

DEus qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti, quique dispositis vniuersitatis exordijs, homini ad imaginem Dei facto, ideo inseperabile mulieris adiutorium condidisti, vt fœmineo corpori de virili dares carne principium, docens quod ex vno placuisset institui, nunquam liceret diuiungi.

Hic incipit benedictio sacramentalis.

Deus qui tam excellenti mysterio coniugalem copulam consecrasti, vt Christi & Ecclesiæ sacramentum præsignares in fœdere nuptiarum.

Hic finitur benedictio sacramentalis.

Deus per quem mulier iungitur viro, & societas principaliter ordinata, ea benedictione ✠ donatur, quæ sola nec per originalis peccati pœnam nec per diluuij est ablata sententiam. Respice propitius super hanc famulam tuam, quæ maritali iungenda consortio, se tua expetit protectione muniri. Sit in ea iugum dilectionis & pacis: fidelis & casta nubat in Christo, imitatrixq; sanctarum permaneat fœminarum. Sit amabilis vt Rachel viro

ſuo. Sapiens, vt Rebecca. Longæua & fidelis, vt Sara. Nihil in ea ex actibus ſuis ille auctor prævaricationis vſurpet. Nexa fidei, mandatiſque permaneat, vni thoro vincta. Contractus illicitos fugiat, muniatque infirmitatem ſuam robore diſciplinæ. Sit verecundiæ grauis, pudore venerabilis, doctrinis cæleſtibus erudita. Sit fæcunda in ſobole, ſit probata & innocens. Et ad optatam perueniat ſenectutem, & videat filios filiorum ſuorum vſque in tertiam & quartam progeniem. Et ad beatorum requiem, atque ad cœleſtia regna perueniat. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c. Amen.

Notandum quod hæc clauſula: Deus qui tam excellenti myſterio. vſque, Deus per quem mulier iungitur viro: non dicatur in ſecundis nuptijs. Vir enim aut mulier ad bigamiam tranſiens, non debet iterum a Sacerdote benedici, quia eum alia vice benedicti ſint, eorum benedictio non debet iterari, quia caro benedicta trahit ad ſe carnem non benedictam.

Notandum eſt autem quod inhibitum eſt per capitulum extra, de ſecundis nuptijs, ne benedictio detur in ſecundis nuptijs, quod etiam teſtatur beatus Ambroſius qui ait. Primæ nuptiæ à Domino ſunt conſtitutæ, ſecundæ vero permiſſæ. Primæ nuptiæ ſub omni benedictione celebrantur, ſecundæ vero carent omni benedictione. Sed quia plures benedictiones ſunt in nuptijs celebrãdis (ſcilicet in introitum Eccleſiæ, & ſuper pallium, & poſt Miſſam, & ſuper thorum in ſero) dubium eſſe poteſt quæ benedictio in ſecundis nuptijs ſit iteranda & quæ non. Sciendum eſt. quod in hac oratione quæ ſic incipit: Deus qui poteſtate virtutis

tuæ

tuæ de nihilo cuncta feciſti &c. tres ſunt benedictiones ibidem quæ idem habent principium, ſcilicet: Deus. Media autem eſt omittenda, ſcilicet iſta: Deus qui tam excellenti myſterio coniugalem copulam conſecraſti. vſque, Deus per quem mulier iungitur viro, & ſocietas principaliter ordinata &c. Quia in iſta benedictione agitur de vnitate Chriſti & Eccleſiæ, quæ figuratur in primo Matrimonio, non autem in ſecundo. Vnde Apoſtolus ad Corinthios ait. Erunt duo in carne vna. Et hoc notatur in cap. Extra, de Bigamis & cap. Debitum & ſi vir vnius vxoris. Et hoc pro primo matrimonio, ſed qui adhæret pluribus diſſoluit vnitatem, vel fœdus vnitatis, & ideo illa benedictio quæ agit de vnitate, (ſcilicet: Deus qui tam excellẽti myſterio &c.) non dicetur in ſecundis nuptijs. Et hoc eſt verum tam in viro bigamo, quam in muliere vidua, quia caro benedicti trahit ad ſe carnem non benedictam. Sed omnes aliæ benedictiones ſiue orationes debent dici indifferentur, ſecundum curiam Romanam, ſecundum Hoſtienſem, & Thomam Aquinatem, & Morandũ Doctorem. Et quæſtio iſta diſcuſſa erat, & determinata in ſacro palatio Romæ, & tranſlata in Angliam per Magiſtrum Ioannem Hayſted anno Domini 1321. Et cauſa diſcuſſionis erat, quia multitudo Sacerdotum tunc temporis ad ſedem Apoſtolicam conuolarunt cauſa obtinendi abſolutionis beneficium pro benedictionibus in ſecundis nuptijs indiſcrete collatis. Ideo ſuper hoc ſtatuitur conſtitutio noua, quæ ſic incipit.

Concertatio in antiquæ finem imponere cupientes preſenti declaramus edicto, quod licet vir vel mulier ad bigamiam vel ad ſecundas nuptias trãſierint benedici non debent

bent cum fuerint alias benedicti: quod si forsan alter eorum vel ambo essent ad secundas nuptias transeuntes & in primus nuptijs benedicti non fuerint, danda est eis benedictio in secundis nuptijs. Sane volentes antiquam rigorem temperare, concedimus quod presbyter qui secundas nuptias benedixerit scienter, ad sedem Apostolicam ex hoc venire minimè teneatur: sed a pæna suspensionis hoc casu a iure indicta, per suos possunt Diocæsanos absolui. Si qui vero iuxta opinionem quorundam hactenus se non reputat suspensos ordines quoslibet, seu quæuis beneficia receperint, Diocæsani eorum a pæna suspensionis prædicta ipsos absoluere, ac super executione ordinum, & retentione beneficiorum huiusmodi cum eis valeant licitè dispensare.

Hic quæri potest quare secundæ nuptiæ non benedicantur? Ad hoc dico quod secundum Matrimonium quamuis in se consideratum sit perfectum Sacramentum, tamen in ordine ad primum Sacramentum consideratum, aliquem habet defectum Sacramenti, quia non habet plenam significationem, cum non sit vna caro, sicut est in matrimonio Christi & Ecclesiæ, & ratione huius defectus benedictio a secundis nuptijs subtrahitur. Sed hoc est intelligendum quando secundæ nuptiæ sunt secundæ ex parte viri & ex parte mulieris tantum. Si enim virgo contrahat cum illo qui habuit aliam vxorem nihilominus nuptiæ benedicuntur. Saluatur & aliquo modo significatio in ordine ad primas nuptias, quia Episcopus & si vnam Ecclesiam habeat sponsam, habet tamen plures personas desponsatas in vna Ecclesia. Sed anima non

potest

poteſt eſſe ſponſa alterius quam Chriſti, quia cum demone fornicatur, nec eſt matrimonium ſpirituale. Et propter hoc quando mulier ſecundo nubit, nuptiæ non benedicuntur propter defectum Sacramenti.

Poſt hæc vertat ſe Sacerdos ad altare & dicat **Pax Domini & Agnus Dei.**

Tunc amoto pallio ſurgant ambo ſponſus & ſponſa, & accipiat ſponſus pacem a Sacerdote, & ferat ſponſæ oſculans eam & neminem alium nec ipſe, nec ipſa: ſed ſtatim Diaconus vel clericus a preſbytero pacem accipiens, ferat alijs ſicut ſolitum eſt.

Poſt Miſſam benedicatur panis & vinum, vel aliud quid potabile in vaſculo, & guſtent in nomine Domini, Sacerdote dicente. ℣. **Dominus vobiſcum.** ℟. **Et cum ſpiritu tuo.** Oremus.

BEne ✠dic Domine panem iſtum, & hunc potum, & hoc vaſculum ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, & ſex hydrias in Cana Galileæ: vt ſint ſani & ſobrij, atque immaculati omnes guſtantes ex eis, Saluator mundi. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Nocte vero ſequenti cum ſponſus & ſponſa ad lectum peruenerint accedat Sacerdos & benedicat thalamum dicens. ℣. **Dominus vobiſcum.** ℟. **Et cum ſpiritu tuo.** Oremus.

BEne ✠dic Domine thalamum iſtum, & omnes habitantes in eo: vt in tua pace conſiſtant, & in tua vo-

luntate permaneant, & in amore tuo viuant, & seneſcant, & multiplicentur in longitudinem dierum. Per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

Item benedictio ſuper lectum ℣. Dominus vobiſcum ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

BEne ✠ dic Domine hoc cubiculum [reſpice] qui non dormis, neque dormitas. Qui cuſtodis Iſrael, cuſtodi famulos tuos in hoc lecto quieſcentes ab omnibus phantaſmaticis dæmonum illuſionibus. Cuſtodi eos vigilantes, vt in præceptis tuis meditẽtur dormientes, & te per ſoporem ſentiant, vt hic & vbique defenſionis tui muniãtur auxilio. Per Dominum noſtrum. Amen.

Deinde fiat benedictio ſuper eos in lecto tantum cum Oremus.

BEne ✠ dicat Deus corpora veſtra, & animas veſtras: & det ſuper vos benedictionem, ſicut benedixit Abraham, Iſaac, & Iacob. Amen.

Alia benedictio. Oremus.

MAnus Domini ſit ſuper vos, mittatq; Angelum ſuum ſanctum qui cuſtodiat vos omnibus diebus vitæ veſtræ. Amen.

Alia benedictio, Oremus.

BEne ✠ dicat vos Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, qui trinus eſt in numero & vnus in numine. Amen.

ORDO

ORDO AD VISITANDVM INFIRMVM.

IN primis induat se Sacerdos superpelliceo cum stola, & in eundo dicat cum suis ministris septem psalmos pœnitentiales, cum **Gloria Patri** & cum Antiphona. **Ne reminiscaris.** Quæ in fine repetatur hoc modo. **Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris. Parce Domine, parce famulo tuo (vel famulæ tuæ) quem (vel quam) redemisti præcioso sanguine tuo, & ne in æternum irascaris ei.**

Et cum intrauerit domum dicat.

Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea, pax ingredientibus, & egredientibus.

Et sciendum est, quod quando infirmus debet iniungi, offerenda est ei imago crucifixi, & ante conspectum eius statuenda, vt redemptorem suum in imagine crucifixi adoret, & passionis eius quam pro peccatorum salute sustinuit recordetur.

Deinde aspergat infirmum aqua benedicta, & statim sequatur.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. ℣. **Et ne nos inducas in tentationem.** ℟. **Sed libera nos a malo.** ℣. **Saluum fac seruum tuum (vel ancillam tuam)** ℟. **Deus meus sperantem in te.** ℣. **Mitte ei**

Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum, [vel eã] ℣. Nihil proficiat inimicus in eo [vel ea] ℟. Et filius iniquitatis non opponat nocere ei. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus qui beatum Petrum Apostolum tuum misisti ad Tabitham famulam tuam, vt eius præcibus suscitaretur ad vitam: exaudi nos quæsumus, vt hunc famulum tuum (vel hanc famulam tuam) N. quem (vel quam) in nomine tuo visitat nostra fragilitas, exorata medecinæ tuæ medela citius sanitati restituat. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui subuenis in periculis, & necessitate laborantibus, & flagella clementer temporas: te Domine supplices exoramus, vt per visitationem tuam sanctam erigas hunc famulum tuum (vel hanc famulam tuam) N. ex hac ægrotatione qua tenetur, & præsentes eum Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumem, ad laudem & gloriam nominis tui. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Oremus.

EXaudi nos omnipotens & misericors Deus, & visitationem tuam conferre digneris super hunc famulum tuum (vel hanc famulam tuam) N. quem (vel quam) diuersa vexat infirmitas. Visita eum (vel eã) Domine, sicut visitare dignatus est socrum Petri, puerum Centurionis,

& To-

& Tobiam, & Saram per sanctum Angelum tuum Raphaelem. Restitue in eo (vel ea) Domine pristinam sanitatem, vt mereatur in atrio domus tuæ dicere: castigans, castigauit me Dominus, & morti non tradidit me Saluator mundi. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

DEus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti: ita & hunc famulũtuum (vel hanc famulam tuam) N. a lecto ægritudinis, tua potentia erigas ad salutem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

REspice quæsumus Domine famulum tuum (vel famulam tuam) N. in infirmitate sui corporis laborãtem: & animam refoue quam creasti, vt castigationibus emendata, continuò se sentiat, tua medecina saluatam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

DEus qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris, & famulum tuum (vel famulam tuam) N. ex aduersa valetudine sui corporis laborantem, placatus respice, & visita in salutari tuo, ac cælestis ei gratiæ præsta medecinam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

VIrtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem

præcepti tui potestate depellis : adesto propitius huic famulo tuo (vel famulæ tuæ) N. vt fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Oremus.

DOmine sancte, pater omnipotens, æternæ Deus, qui fragilitatem conditionis humanæ, infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, vt salutaribus remedijs pietatis tuæ corpora nostra, & membra vegetentur : super hunc famulum tuum (vel famulam tuam) N. propitius intende, vt omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo (vel ea) pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

REspice Domine de cælo, & vide & visita hunc famulum tuum (vel hanc famulam tuam) N. & benedic eum (vel eam) sicut benedicere dignatus es, Abraham, Isaac, & Iacob. Respice super eum (vel eam) Domine oculis misericordiæ tuæ, & reple eum (vel eā) omni gaudio, & lætitia & timore tuo. Expelle ab eo (vel ea) omnes inimici insidias, & mitte Angelum pacis qui eum (vel eam) custodiat, & domum istam in pace perpetua. Per Dominum nostrum. Amen.

Deinde priusquam vngatur infirmus, aut communicetur, exhortetur eum Sacerdos hoc modo.

FRater charissime, gratias age omnipotenti Deo pro vniuersis beneficijs suis, patiēter & benigne suscipiens infir-

infirmitatē corporis, quā tibi Deus immisit: nam si ipsam humiliter sine murmure toleraueris, inferet animæ tuæ maximum præmium, & salutem. Et frater charissime quia viam vniuersæ carnis ingressurus es, esto firmus in fide: qui enim non est firmus in fide, infidelis est, & sine fide impossible est placere Deo. Et ideo si saluus esse volueris, ante omnia opus est vt teneas Catholicam fidem, quam nisi integram, inuiolatamque seruaueris, absque dubio in æternum peribis.

Deinde bonum & valdè expediens est vt Sacerdos exprimat infirmo quatuordecem articulos fidei: quorum septem primi ad mysterium Trinitatis, & septem alij ad Christi humanitatem pertinent: vt si fortè prius in aliquo ipsorum errauerit, titubauerit, vel dubius fuerit, antè mortem dum adhuc spiritus vinctus est carni ad fidem solidam reducatur. Et potest Sacerdos dicere sic.

FIdes autem Catholica hæc est frater. 1 Credere in vnū Deum, hoc est in vnitatem diuinæ essentiæ, in trium personarum indiuisibile Trinitate. 2 Patrem ingenitē esse Deum. 3 Vnigenitum Dei Filium, esse Deum per omnia coæqualem Patri. 4 Spiritum Sanctum, non genitum, non factum, non creatum, sed a Patre & Filio pariter procedentem, esse Deum Patri Filioque consubstantialem, etiam & æqualem. 5 Creationem cæli & terra, id est, omnis visibilis & inuisibilis creaturæ a tota indiuisibili Trinitate. 6 Sanctificationem Ecclesiæ per Spiritum Sanctū, & gratiæ sacramenta, ac cætera omnia in quibus communi-

nicat

nicat Ecclesia Christiana: In quo intelligitur, quod Ecclesia Catholica cum suis Sacramentis & legibus, per Spiritum Sanctum regulata, omni homini (quantumcunque facinoroso peccatori) sufficit ad salutem, & quod extra Ecclesiam Catholicam non sit salus. 7 Consummationē Ecclesiæ per gloriam sempiternam, in anima & carne veraciter suscitanda: & per huius oppositum intelligitur æterna damnatio reproborum. Si vis ergo saluus esse frater, ita de mysterio Trinitatis sentias.

Deinde exprimat ei Sacerdos alios septem articulos ad Christi humanitatem pertinentes, hoc modo.

Similiter (frater charissime) necessarium est ad æternam salutem, vt credas, & confitearis Domini nostri Iesu Christi Incarnationē, seu veram carnis assumptionem per Spiritum Sanctum ex sola virgine gloriosa. 2 Veram incarnati Dei natiuitatem ex virgine incorrupta. 3 Veram Christi passionem & mortem sub tyrannide Pilati. 4 Veram Christi descensionem ad inferos in anima ad spoliatorem tartari, quiescente corpore eius in sepulchro. 5 Veram Christi Dei tertia die a morte resurrectionem. 6 Veram ipsius ad cælos ascensionem. 7 Ipsius venturi ad iudicium certissimam expectationem. Hæc est fides catholica (frater) quam nisi fideliter, firmiterque credideris, sicut sancta mater Ecclesia credit, saluus esse non poteris.

Et si infirmus laicus, vel simpliciter literatus fuerit, tunc potest Sacerdos articulos fidei in generali ab eo inquirere, sub hac forma.

Charis-

CHarissime frater, credis Patrem, & Filium, & Spiritũ Sanctum, esse tres personas, & vnũ Deum, & ipsam benedictam, atque indiuisibilem Trinitatem creasse omnia creata visibilia, & inuisibilia. Et solum Filium, de Spiritu Sancto conceptum, incarnatum fuisse ex Maria virgine, passum & mortuũ pro nobis in cruce, sub Pontio Pilato, sepultum descendisse ad inferna, die tertia resurrexisse a mortuis, ad cœlos ascendisse, iterumque venturũ ad iudicandos viuos & mortuos, omnesque homines tunc in corpore & anima resurrecturos, bona & mala secũdum merita sua recepturos, & remissionem peccatorum per Sacramentorum Ecclesiæ perceptionem, & Sanctorum communionem: id est omnes homines in charitate existentes, esse participes omnium bonorũ gratiæ, quæ fiunt in Ecclesia, & omnes qui communicant cum iustis hic in gratia, cõmunicaturos cum eis in gloria. Deinde respondeat infirmus. Credo firmiter in omnibus, sicut sancta mater credit Ecclesia, protestando coram Deo, & omnibus sanctis continuè hoc esse meam veram & firmam intentionem, quomodocunque aliquis spiritus malignus memoriam meam aliter fortè in futuro solicitauerit perturbare. Deinde dicat Sacerdos.

CHarissime frater, quia sine charitate, nihil proderit tibi fides, testante Apostolo, qui dicit: Si habuero omnem fidem ita vt mõtes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: ideò opportet te deligere Dominum Deum tuum super omnia ex toto corde tuo, &

ex tota anima tua, & proximum tuum propter Deum sicut teipsum. Nam sine huiusmodi charitate nulla fides valet. Exerce igitur charitatis opera dum vales: & si multũ tibi affuerit, abundanter tribue, si autem exiguum illud impartire stude. Et ante omnia si quem iniustè læseris, satisfacias si valeas, si autem non valeas, expedit vt ab eo veniam humiliter postules. Dimitte debitoribus tuis, & illis qui in te peccauerunt, vt Deus tibi dimittat. Odiẽtes te diligas, pro malis bona retribuas. Dimittite (inquit Saluator) & dimittetur vobis. Spem etiam firmam, & bonã fiduciam (frater) opportet te habere in Deo, & in misericordia eius. Et si occurrerit cigitãtui tuo multitudo peccatorum tuorum, dole: sed nullo modo desperes. Imo cogita quoniam (vt testatur scriptura) misericordia eius super omnia opera eius, & illi soli proprium est misereri semper & parcere, & quia secundum altitudinem cœli a terra corroborauit misericordiam suam super timentes se. Spera igitur in Deo, & fac bonitatem, quoniam sperantem in Domino misericordia circundabit. Qui sperãt in Domino habebunt fortitudinem, & assument pennas vt aquilæ, volabunt & non deficient. Volabũt enim a tenebris ad lumen, a carcere ad regnum, a miseria præsenti ad gloriam sempiternam.

Deindè stabilito sic infirmo in fide, charitate, & spe dicat ei Sacerdos.

CHarissime frater si velis ad visionem Dei peruenire, opportet omnino quod sis mundus in mente, & purus in

rus in conscientia. Ait enim Christus in Euangelio: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Si ergo vis mundum cor & conscientiam sanam habere, peccata tua vniuersa cõfitere: ore enim confessio fit ad salutem, vt ait Apostolus. Et quia fortè ante hac aut per obliuionem, aut verecundiæ confusionem, aliqua peccata tua, vel eorum circumstantias aggrauantes omisisti, truncasti, abscondisti, vel minus confessus fuisti: ideo iam resume ab initio, & confitere. Quoniam in proximo est, vt viam vniuersæ carnis ingressurus sis, & tunc amplius cõfiteri non poteris. Dic ergo vni, peccata tua, vt Deus coram multis milib⁹ in die iudicij ea tegat. Si autem tu hic ea tegas & abscõdas, in omnium conspectu ad tui confusionem in die iudicij denudabuntur. Recogita ergo omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ, & non sit tibi solicitudo de aliqua creatura, vel rebus mundanis: sed omnem solicitudinem tuam proijce in Deum, & noli esse immemor salutis animæ tuæ. Multum tempus in vanum transegisti, nunc vna hora tibi fortè tantum supereſt in hac vita, & ideo hanc expende totaliter in vtilitatem & commodum animæ tuæ. Surge (frater) de lacu miseriæ, et de luto peccati per confessionem. Grandis enim tibi restat via. Surge euge vt lotus lachrimis cõtritionis comedere valeas panẽ vitæ, hoc est, Sacramentum Corporis Christi, quod erit tibi in via hac qua gradieris robur & fulcimẽtum: & ambulabis per Dei gratiam in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei. Quod tibi cõcedat omnũ fidelium Redẽptor Dei Filius, Iesus Christus, Amen.

Deinde audita integra confessione infirmi, & factis interrogationibus quæ expediunt, iniungat Sacerdos infirmo, quod si quid alieni iniustè habuerit, vel si quem iniustè læserit, seu damnificauerit, reddat & satisfaciat si valeat: si non valeat, veniam humiliter postulet. Attamen non iniungat ei Sacerdos aliquam pænitẽtiam, sed dicat ei benigniter hoc modo.

FRater tu tot, & talia peccata commisisti, pro quibus si tu esses sanus talem pænitẽtiam deberes agere vsque ad tale tempus (innotescendo ei illam pænitentiam in speciali) sed quia infirmus es, & forté vita tua ad hoc peragendum extendi non valebit, ideo non iniungo tibi aliquam pænitẽtiam. Volo tamen, quod (si forte decesseris) facias talem Eleemosinam, vel ad minus iniungas amicis vel executorib⁹ tuis, ipsam facere ex parte tua, pro ipsa pænitentia. (assignando ipsam Eleemosinam in speciali) Si autem conualueris, pænitentiam quam tibi notificaui adimpleas, vel iterum humiliter redeas ad confessionem, vel mihi, vel alteri qui tibi absolutionis beneficiũ in hac parte de iure conferre valeat & debeat. Et concedo tibi quod omnes indulgentiæ quorumcunque Prælatorum tibi cõcessæ, seu qualitercunque concedendæ, eorumque benedictiones, omnes aquæ benedictæ asperfiones, deuotæ pectoris tui tunsiones, cordis tui cõtritiones, ista cõfessio, & omnes aliæ confessiones tuæ deuotæ, omnia ieiunia, abstinentiæ, eleemosinæ, vigiliæ, disciplinæ, orationes, peregrinationes, & omnia alia bona quæ fecisti, vel facies,

& om-

& omnia mala quæ pro Deo vel iniuste sustinuisti, vel sustinebis, passio Saluatoris domini nostri Iesu Christi, meritaq; beatæ & glorioſæ virginis Mariæ & omnium aliorum sanctorum, necnon suffragia totius sanctæ Ecclesiæ catholicæ, cedant tibi in remissionem istorū, & omnium aliorum peccatorū tuorum, in augmētationem meritorū, & consecutionem præmiorum æternorum. Amen.

Deinde dicat Sacerdos. Misereatur tui &c. Et postea eum absoluat ab omnibus peccatis suis dicendo.

Dominus noster Iesus Christus &c.

Notandum est quod licet Sacerdos possit de facto absoluere infirmum in articulo mortis ab omnibus peccatis suis, tamen si aliquis casus occurrat in Confessione a quo ipse Sacerdos eum aliat de iure absoluere non posset, inungendum est infirmo, quod cum conualuerit præsentet se illi ad confitendum, qui eum de iure, vel consuetudine in hac parte absoluere debeat, recepturus eius mandata, & satisfacturus: nam alias reincidit in eandem sententiam quam prius sustinuit.

Deinde dicat Sacerdos orationem sequentem.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

PRætende Domine huic famulo tuo [vel famulæ tuæ] dexteram cœlestis auxilij: vt te toto corde perquirat, & quæ digne postulat assequatur. Per Christum Dominū nostrum Amen. Sequatur.

BENE✠dictio Dei Patris omnipotētis, & Filij, & Spiritus Sancti, super te descendat, & maneat semper. Amen.

Deinde infirmus osculetur crucem, & Sacerdotem, & postea omnes alios per ordinem: & interim dicat Sacerdos morosius.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum, peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminũ culpas, venia remissionis euacuas: respice super hunc famulum tuum [vel hanc famulam tuam] N. sibi remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis cotritione poscentẽ. Renoua in eo (vel ea) pijssime Pater quicquid diabolica fraude violatum est, & vnitati corporis Ecclesiæ tuæ mẽbrum infirmum (peccatorum percepta remissione) restitue. Miserere Domine gemituum eius, miserere lachrimarum, miserere tribulationum atque dolorum: & non habẽtem fiduciam nisi in tua misericordia, ad sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

DA nobis quæsumus Domine, vt sicut publicani precibus, & confessione placatus es; ita & huic famulo tuo (vel famulæ tuæ) N. beingnus aspires: vt in confessione flebili permanens, misericordiam tuam celeriter consequatur, sacrisque altaribus restitutus (vel restituta) rursus diuino famulatui mancipetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Abso-

Absolutio.

ABsoluimus te N. vice beati Petri Apostolorum principis, cui Dominus potestatem ligandi, atque soluēdi dedit, & quantum ad te pertinet accusatio, & ad nos remissio, sit tibi omnipotens Deus vita & salus, & omnium peccatorum tuorum plus indultor. Qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DE EXTREMA VNCTIONE.

PRiusquam vngatur infirmus incipiat Sacerdos Antiphonam. Saluator mundi. Deinde dicatur psal. 70.

IN te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me, & eripe me.

Inclina ad me aurem tuam: & salua me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum: vt saluum me facias.

Quoniam firmamentū meum. & refugium meum es tu.

Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui.

Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine spes mea a iuuentute mea.

In te confirmatus sum ex vtero: de ventre matris meæ tu es pro-

es protector meus.

In te cantatio mea semper: tanquam prodigium factus sum multis & tu adiutor fortis.

Repleatur os meum laude, & cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam.

Ne proijcias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui custodiebant animam meam, concilium fecerunt in vnum.

Dicentes, Deus dereliquit eum: persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.

Deus ne elongeris a me: Deus meus in auxilium meum respice.

Confundantur, & deficiant detrahētes animæ meæ: operiantur confusione, & pudore, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperabo: & adijciam super omnem laudem tuam.

Os meum annunciabit iustitiam tuam: tota die salutare tuum.

Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.

Deus docuisti me a iuuentute mea: & vsque nunc pronunciabo mirabilia tua.

Et vsque in senectam, & senium: Deus ne derelinquas me.

Donec annunciem brachium tuum: generationi omni quæ ventura est.

Potentiam tuam, & iustitiam tuam Deus vsque in altissima, quæ

ma, quæ fecisti magnalia: Deus quis similis tibi.

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas, & conuersus viuificasti me: & de abyssis terræ iterum reduxisti me.

Multiplicasti magnificentiam tuam: & conuersus consolatus es me.

Nam & ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatē tuam Deus: psallam tibi in cythara sanctus Israel.

Exultabunt labia mea cum catauero tibi: & anima mea quam redemisti.

Sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam: cum cōfusi & reuereti fuerint, qui quærunt mala mihi.

Gloria patri. &c. Finito psalmo dicatur Antiphona.

Saluator mundi salua nos, qui per crucem, & sanguinem tuum redemisti nos: auxiliare nobis te deprecamur Deus noster.

Tunc dicat Sacerdos. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui per beatum Iacobum Apostolum tuum, loquutus es, dicens: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orēt super eū, vngētes eum Oleo, in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum; & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei: Dignare per manus nostras hunc famulum tuum (vel hanc famulam tuam) N infirmum (vel infirmam) de oleo sanctificato vngere, & virtute benedictionis tuæ saluti pristinæ restituere: vt quod

exterius per minysterium nostrum efficitur, hoc interius spiritualiter tua diuina virtus, ac inuisibiliter tua malagmata operentur. Per Dominum nostrum Iesum. &c. Amen.

Tunc Sacerdos accedens ad infirmum incipiat psalmũ sequentem, quem chorus vel clericus totum prosequatur; & sic fiat de cæteris psalmis sequentibus.

Psal. 12.

VSquequo Domine obliuiscēris me in finem? vsquequo auertis faciem tuam a me?

Quandiu ponam consilia in anima mea? dolorē in corde meo per diem.

Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice, & exaudi me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus, prævalui aduersus eũ.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speraui.

Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi: Et psallam nomini Domini altissimi.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Dum dicitur prædictus psalmus a choro, vel clerico, accipiat interim Sacerdos oleum infirmorum super pollicem dexterum, & sic cum illo pollice tangat infirmum cum oleo, signum sanctæ crucis faciens, super vtrumque oculũ incipiẽdo ad dexterũ, & dicat Sacerdos hoc modo.

Per

Per istam vnctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum.

℟. Amen. Sequatur psalmus. Psal. 29.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus clamaui ad te: & sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam: saluasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino sancti eius: & confitemini memoriæ sanctitatis eius.

Quoniã ira in indignatione eius: & vita in voluntate eius.

Ad vesperam demorabitur fletus: & ad matutinũ lætitia,

Ego autẽ dixi in abũdantia mea: non mouebor in æternũ.

Domine in volũtate tua: præstitisti decori meo virtutem.

Auertisti faciem tuam a me: & factus sum conturbatus.

Ad te Domine clamabo: & ad Deum meum deprecabor.

Quæ vtilitas in sanguine meo: dum descendo in corruptionem.

Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam?

Audiuit Dominus, & misertus est mei: Dominus factus est adiutor meus.

Conuertisti plãctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia.

Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

Gloria Patri, &c.

exterius per minysterium nostrum efficitur, hoc intus ius spiritualiter tua diuina virtus, ac inuisibiliter tua malagmata operentur. Per Dominum nostrum Iesum. &c. Amen.

Tunc Sacerdos accedens ad infirmum incipiat psalmũ sequentem, quem chorus vel clericus totum prosequatur; & sic fiat de cæteris psalmis sequentibus.

Psal. 12.

VSquequo Domine obliuiscēris me in finem? vsquequo auertis faciem tuam a me?

Quandiu ponam consilia in anima mea? dolorē in corde meo per diem.

Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice, & exaudi me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus, prævalui aduersus eũ.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speraui.

Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi: Et psallam nomini Domini altissimi.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Dum dicitur prædictus psalmus a choro, vel clerico, accipiat interim Sacerdos oleum infirmorum super pollicem dexterum, & sic cum illo pollice tangat infirmum cum oleo, signum sanctæ crucis faciens, super vtrumque oculũ incipiẽdo ad dexterũ, & dicat Sacerdos hoc modo.

Per

Per istam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum.

℟. Amen. Sequatur psalmus. Psal. 29.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus clamaui ad te: & sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam: saluasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino sancti eius: & confitemini memoriæ sanctitatis eius.

Quoniã ira in indignatione eius: & vita in voluntate eius.

Ad vesperam demorabitur fletus: & ad matutinũ lætitia.

Ego autẽ dixi in abũdantia mea: non mouebor in æternũ.

Domine in volũtate tua: præstitisti decori meo virtutem.

Auertisti faciem tuam a me: & factus sum conturbatus.

Ad te Domine clamabo: & ad Deum meum deprecabor.

Quæ vtilitas in sanguine meo: dum descendo in corruptionem.

Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annunciabit veritatem tuam?

Audiuit Dominus, & misertus est mei: Dominus factus est adiutor meus.

Conuertisti plãctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia.

Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

Gloria Patri, &c.

Deinde ſuper aures dicens.

Per iſtam vnctionem, & ſuam pijſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per auditum. R. Amen. Sequatur Pſalmus. pſal. 42.

IVdica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente nõ ſancta: ab homine iniquo & doloſo erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti, & quare triſtis incedo dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam & veritatem tuã: ipſa me deduxerũt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.

Confitibor tibi in cythara Deus, Deus meus: quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Gloria Patri, &c. Deinde ſuper labia dicens.

Per iſtam vnctionem, & ſuam pijſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per guſtum, & illicita verba. R. Amen. Sequitur Pſalmus. pſal. 53.

DEus in nomine tuo ſaluum me fac: & in virtute tua iudica me.

Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me: & fortes quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt

Deum ante conſpectum ſuum.

Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.

Auerte mala inimicis meis: & in veritate tua diſperde illos.

Voluntarie ſacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine quoniam bonum eſt.

Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

Gloria Patri. &c. Deinde ſuper nares dicens.

Per iſtam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid peccaſti per odoratum, &c. Amen Sequatur Pſalmus. pſal. 69.

DEus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me feſtina.

Confundantur, & reuereantur: qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorſum, & erubeſcant: qui volunt mihi mala.

Auertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, euge, euge.

Exultent, & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego vero egenus, & pauper ſum: Deus adiuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri, &c.

Manus Sacerdotis infirmi debent inungi in partibus exterioribus: nam Episcopus liniebat in partibus interioribus. Manus vero cuiuscunque alterius infirmi debent inungi interius.

Deinde super manus ita dicens.

Per istam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid peccasti per tactum.

℟. Amen. Sequatur Psalmus. psal. 85.

INclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die: lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.

Quoniam tu Domine suauis & mitis: Et multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in dijs Domine: & non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascunque fecisti venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua:

lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator & misericors: patiens & multæ misericordiæ & verax.

Respice in me & miserere mei, da imperium tuum puero tuo: & saluum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, & videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.

Gloria Patri, &c.

Deinde super pedes ita dicens.

Per istam vnctionem & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid peccasti per incessum pedum. R. Amen.

Sequatur Psalmus. psal. 87.

DOmine Deus salutis meæ: in die clamaui & nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquauit.

Æstima-

Æstimatus sum cum descẽdentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris quorum non es memor amplius: Et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebris & in vmbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: Et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longè fecisti notos meos a me: posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.

Clamaui ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas.

Nunquid mortuis facies mirabilia; aut medici suscitabũt, Et confitebuntur tibi;

Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam: Et veritatem tuam in perditione.

Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: & iustitia tua in terra obliuionis.

Et ego ad te Domine clamaui: Et mane oratio mea præueniet te.

Vt quid Domine repellis orationem meam: auertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, Et in laboribus a iuuentute mea: exaltatus autem humiliatus sum & conturbatur.

In me transierint iræ tuæ: Et terrores tui cõturbauerũt me.

Circun-

C ircundederunt me ſicut aquæ: tota die circundederunt me ſimul.

E longaſti a me amicum, & proximum: & notos meos a miſeria.

G loria Patri & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Deinde in dorſo inter lumbos maris, vel ſuper vmbilicum mulieris, ita dicens.

P er iſtam vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid peccaſti per illicitas cogitationes, & per ardorem libidinis. ℟. Amen.

Tunc erigens ſe Sacerdos lauet manus ſuas, cum ſale & aqua, in vaſe quo ſtuppæ olei ponuntur: quæ igne crementur, vel in cœmiterio fodiantur.

Poſtea dicat Sacerdos ſuper infirmum benedictionem, hoc modo.

I n nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ſit tibi hæc olei vnctio, ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen & defenſionem, contra iacula immundorum ſpirituum. ℟. Amen.

Sequatur Pſalmus. 140.

D Omine clamaui ad te, exaudi me: intende voci meæ cum clamauero ad te.

L irigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.

P one Domine cuſtodiam ori meo: & oſtium circunſtantiæ labijs meis.

N on declines cor meum in verba malitiæ: ad excuſandas

excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem: & non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum: absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.

Audient verba mea, quoniam potuerunt: sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum, quia ad te Domine, Domine oculi mei: in te speraui non auferas animam meam.

Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi: & a scandalis operantium iniquitatem.

Cadent in retiaculo eius peccatores: singulariter sumego donec transeam.

Gloria Patri &c.

Deinde dicat Sacerdos.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus saluator noster, qui es vera salus & medicina, a quo omnis sanitas & omne medicamentū venit, quique nos Apostoli tui Iacobi documento iustruxisti, vt languentes olei liquore orantes tangeremus: respice propitius super hunc famulum tuum (vel hanc famulam tuam) N. & quem (vel quam) languor cruciat ad exitum, & virium defectus protrahit ad occasum, me-

dela

dela gratiæ tuæ ſaluti reſtituat caſtigatum (vel caſtigatã) Extingue in eo (vel ea) clementiſſime Deus omnium febrium æſtus, dolorum ſtimulos, & cunctorum languorum cruciatus. Viſcerum quoque & ſecretorum, interna medicina, atque medullarum diſcrimina ſana. Conpagum etiam & artuũ dele cicatrices veteres, & acerbas compeſce paſſiones. Reformetur in eo (vel ea) carnis & ſanguinis, quam creaſti perfecta materies: ſicque illum (vel illam) iugiter tua cuſtodiat pietas, vt nec ad corruptionem aliquando ſanitas, nec ad perditionem perducat infirmitas. Sed fiat illi hæc ſacra olei perunctio, cita morbi præſentis & languoris expulſio, & peccatorum omnium exoptata remiſſio. Per te Saluator mundi. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto viuis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

De communicando Infirmo,

FActa vnctione vt prædictum eſt, expedit, vt Sacerdos ante communionem inquirat ab infirmo an aliqua alia peccata ſibi ad memoriam occurrant, de quibus non erat confeſſus: nam poſſet eſſe quòd per preces & deuotas orationes Sacerdotis ſiue aliorum, Deus cor infirmi illuſtraret & daret ei gratiam veriùs & plenùis confitendi.

Et poſtea interroget eum Sacerdos, ſi recognoſcat corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſic dicendo:

FRater, credis quod Sacramentum quod tractatur in Altari sub forma panis, est verum corpus, & sanguis Domini nostri Iesu Christi?

Respondeat infirmus, **Credo.**

Deinde communicetur infirmus, nisi prius communicatus fuerit: & nisi de vomitu, vel alia irreuerentia probabiliter timeatur: in quo casu, dicat Sacerdos infirmo.

Frater in hoc casu sufficit tibi vera fides, & bona voluntas: tantum crede, & manducasti.

Sacerdos vero in infirmis communicandis stola induetur. Et cum Sanctum Sacramentum administrat dicat,

Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat corpus tuũ, & animam tuam, in vitam æternam. Amen.

Deinde dicat Sacerdos sine Dominus vobiscum, sed cum Oremus, orationem sequentem, quę non dicatur nisi tantum, quando infirmus communicatur.

Oremus.

DOmine sancte pater omnipotens æternæ Deus, te fideliter deprecamur, vt accipienti huic fratri nostro (vel sorori nostræ) N. sacrosanctum corpus & sanguinem filii tui Domini nostri Iesu Christi, tam corporis quam animæ sit salus. Amen.

Deinde sequatur Psalmus. 145.

LAuda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quandiu fuero.

Nolite confidere in principibus: in filijs hominum, in

quibus

quibus non est salus.

Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius: qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in sæculum, facit iudicium iniuriam patientibus: dat escam esurientibus.

Dominus soluit compeditos: Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos: Dominus diligit iustos.

Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet: & vias peccatorum disperdet.

Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus ex Sion: in generatione, & generationem.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Quo finito dicat Sacerdos; Oremus.

DEus qui peccatores, & scelerum onere vulneratos, Sacerdotibus tuis ostendere iussisti, Deus qui discipulis tuis manus super infirmos, vt benè haberent imponere præcepisti, Deus qui per Apostolorum manus infirmos sacro oleo vngere, & pro eis orare docuisti, Deus qui per impositionem manuum Sacerdotum, cum sancti nominis tui inuocatione, peccata relaxare voluisti: exaudi orationes nostras, & da huic famulo tuo (vel famulæ tuæ) N infirmitatis noxa oppresso (vel oppressæ) per hoc sacrosanctum mysterum, quod nos indignos famulos tuos agere voluisti, remissionem omniū peccatorum: quatenus

hanc ſacrati olei vnctionem, corporis & ſanguinis tui ſuſceptionem, atq; manus noſtræ impoſitionem, cuncta ei facinora Spiritus Sancti gratia relaxentur, ſanitas animæ & corporis reſtituatur, vt non ei plus noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis ad emendationem proſit & veniam. Te concedente Saluator mundi, qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate eiuſdem &c. Amen.

Deindè benedicat Sacerdos infirmum dicens.

BEne ✠ dicat te Pater qui in principio cuncta creauit. ℟. Amen.

Et ſic reſpondeatur ad ſingulas benedictiones.

Sanet te Dei Filius. ℟. Amen. Illuminet te Spiritus ſanctus ℟. Amen. Corpus tuum cuſtodiat. ℟. Amen. Animam tuam ſaluet. ℟. Amen. Cor tuum irradiet R. Amen. Senſum tuum dirigat,& ad ſupernam patriam te perducat qui in Trinitate perfecta, viuit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia benedictio.

BEne ✠ dicat te Deus cæli Reſp. Amen. Adiuuet te Deus Chriſtus filius Dei. Reſp. Amen. Corpus tuum in ſuo ſancto ſeruitio cuſtodiri & cõſeruari faciat. Reſp. Amen. Mentem tuam illuminet. Reſp. Amen. Senſum tuum cuſtodiat. Reſp. Amen. Gratiam ſuam ad profectum animæ tuæ in te augeat. Reſp. Amen. Ab omni malo te liberet. Reſp. Amen Omnia peccata tua deleat. Reſp. Amen. Dextera ſua te defendat.

Reſp.

Resp. A mẽ. Qui sanctos suos semper adiuuat, ipse te adiuuare & cõseruare dignetur. Qui viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorũ. Resp. A men. Alia benedictio.

BEne ✠ dicat te Deus Pater qui in principio cuncta creauit ℟. Amen.

Bene ✠ dicat te Dei filius qui de supernis sedibus pro nobis saluandis descendit, & crucem subire non recusauit. ℟. Amen. Bene ✠ dicat te Spiritus Sanctus, qui in similitudine columbæ in flumine Iordanis, in Christo requieuit. ℟. Amen. Ipseque te in Trinitate sanctificet quem omnes gentes venturum expectant ad iudicium, Qui cum Deo Patre & eodem Spiritu Sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Resp. A men.

Finito hoc officio conuenienter dici poterunt ab infirmo languente in extremis si placeat, orationes subscriptæ vel earum aliquæ, videlicet. Psalmus. 50.

MIserere mei Deus &c. Item psal 53. Deus in nomine tuo saluũ me fac &c. pag. 68. Item versus. Suscipe me Domine secũdum eloquium tuum & viuam: & non confundas me ab expectatione mea. Et. Quæ est expectatio mea: nonne Dominus?

Vel sic, Domine Iesu Christe suscipe spiritum meum.

Item, Deus propitius esto mihi peccatori.

Item, ℣. In manus tuas Domine commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis. Item versus. Delicta iuuẽtutis meæ: & ignorantias meas ne memineris Domine. Item ℣. Ab occultis meis munda me: & ab alienis

ab alienis parce ſeruo tuo. Item ℣. Ne proijcias me Domine in tempore ſenectutis: cum defecerit virtus mea ne derelinquas me.

Sciendum eſt autem quod non licet alicui mis iſtrare Sacramentum Vnctionis extremæ niſi tantum Sacerdoti. Vnde ſi aliquis non Sacerdos attentaret hoc facere, nihil faceret collatio.

Loca vero vngenda ſunt ſupradicta, & non alia, niſi in mutilatis, in quibus debent inungi loca magis propinqua.

Et notãdum eſt quod ſi Sacerdos, iam aliquibus partibus inunctis, alijs reſtantibus ad vngendum defecerit, partes inuncta non ſunt iteratò vngendæ, ſed quæ reſtant partes vngendæ, per alium Sacerdotem compleantur.

Poteſt Sacerdos vno clerico præſente infirmum inungere, & etiam ſinè clerico in neceſſitatis articulo.

Moneant frequenter Sacerdotes parochianos ſuos, quod omnes quatuordecim annorum & amplius, ſe exhibeant ad Sacramentum Vnctionis extremæ ſuſcipiendum, quando mortis metus imminet.

Doceant etiam eos, quod hoc Sacramentum licitè poteſt itirari, ſinè aliqua ſui iniuria, vndè quoties homo cõualuerit, & noua infirmitas iterato ſuperuenerit, ex qua fuerit metus mortis, poteſt idem homo in vnaquaque huiuſmodi infirmtate inungi. In eadem quoque infirmitate hoc Sacramentum iterari poteſt, nam in ægritudine diuturna debet fieri quando videtur deducere ad mortem. Et ſi illum articulum euadat & eadem infirmitate durãte poſtea ad ſtatum ſimilẽ reducatur, iterũ poteſt inungi: quia alius eſt infirmitatis ſtatus, licet ſit eadem infirmitas. Et ſi quis

poſt

post hoc Sacramentum conualuerit, nihilominus ad opus coniugale & ad omne opus honestum licite poterit reuerti.

Hoc Sacramentum non est conferendum euntibus ad bellum, vel ad duellum, peregrinis, aut nauigantibus, vel his qui statim occidendi sunt.

Similiter pueri, frænetici, furiosi, & alij, huiusmodi alienationem mentis patientes, eo quod debitam discretionem deuotionis & veræ pœnitentiæ non habeant, ad hoc Sacramentum non admittantur; nisi forte ipsi frænetici, furiosi vel amentes in sana mente constituti, hoc Sacramentū petierint, vel alias ante huiusmodi passionem, seu mentis alienationem de sua salute fuerint soliciti, tunc nihilominus consulitur hoc Sacramentum eis fiducialiter ministrandum. In constit. Lambeth p. c. vlt.

Nota quod tempore interdicti, non debet conferri Sacramentum Vnctionis extremæ, nec alia Sacramenta exceptis Baptismo, Confirmatione, pœnitentia, & viatico, existentibus in articulo mortis tantum conferendis.

Commendatio Animæ in articulo mortis.

CVm anima in exitu seu dissolutione corporis visa fuerit laborare, percutiatur tabula minutè & acriter, & tunc omnes clerici cum summa velocitate accurrant, & dicant;

Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem factorem

rem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum, Et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis.

Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria vigine: Et homo factus est.

Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem: qui ex Patre Filioq; procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Deindè dicant septem Psalmos pœnitentiales cum Gloria Patri Quibus dictis, subiungatur hoc capitulũ. Parce Domine parce famulo tuo quem redimere dignatus es præcioso sanguine tuo, nè in æternum iraſcaris ei.

Hoc capitulum dicatur tribus vicibus tàm a Sacerdote

quam

quam a toto conuentu, ita tamen quod Sacerdos prius dicat, quam conuentus repetat.

Deindé dicatur ſequens Litania ſine nota hoc modo.

Pater de cælis Deus, miſerere animæ famuli tui, (vel famulæ tuæ.)

Fili redemptor mundi Deus, miſerere animæ famuli tui.

Spiritus Sancte Deus, miſerere animæ famuli tui.

Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere animæ famuli tui.

Sancte Sanctorum Deus, miſerere,&c.

Qui es trinus & vnus Deus, miſerere.

Sancta Maria,intercede pro anima eius.

Sancta Dei genitrix, inter.

Sancta virgo virginum, int.

Sancte Michael, intercede.

Sancte Gabriel, intercede.

Sancte Raphael, intercede.

Omnes ſancti Angeli & Archangeli, intercedite pro anima eius.

Omnes ſancti beatorum ſpirituũ ordines, intercedite.

Sancte Ioannes Baptiſta, intercede pro anima eius.

Omnes ſancti Patriarchæ & prophetæ,intercedite.

Sancte Petre, intercede.

Sancte Paule, intercede.

Sancte Andræa, intercede

Sancte Mathæe,intercede.

Sancte Thoma, intercede.

Sancte Iacobe, intercede.

Sancte Ioannes, intercede

Sancte Philippe,intercede.

Sancte Iacobe, intercede.

Sancte Bartholomeæ, int.

Sancte Simon, intercede.

Sancte Iuda, intercede.

Sancte Mathia, intercede.

Sancte Marce, intercede.

Sancte Luca, intercede.

Sancte Barnaba, intercede.

Omnes ſancti Apoſtoli &

Euangelistæ, intercedite.
Omnes sancti discipuli Domini & Innocentes, int.
Sancte Stephane, interce.
Sancte Line, intercede.
Sancte Clete, intercede.
Sancte Clemens, intercede.
Sancte Corneli, intercede.
Sancte Laurenti, intercede.
Sancte Sixte, intercede.
Sancte Vincenti, intercede.
Sancte Georgi, intercede.
Sancte Fabiane, intercede.
Sancte Sebastiane, interce.
Sancte Albane, intercede.
Sancte Edmunde, interce.
Sancte Blasi, intercede.
Sancte Dionisi, cum sociis tuis, intercedite pro anima eius.
Sancte Eustachi cum sociis tuis, intercedite.
Sancte Gerualsi, intercede
Sancte Protasi, intercede.
Sancte Cosma, intercede.
Sancte Damiane, intercede
Sancti Ioannes & Paule, intercedite pro anima eius.
Sancti Crispine & Crispiniane, intercedite.
Omnes sancti Martyres, intercedite pro anima eius.
Sancte Benedicte, interce.
Sancte Siluester, intercede.
Sancte Nicolae, intercede.
Sancte Martine, intercede.
Sancte Hilari, intercede.
Sancte Ambrosi, intercede
Sancte Hieronime, interce.
Sancte Augustine, interce.
Sancte Berine, intercede.
Sancte Swithune, inter.
Sancte Æthelvvolde, int.
Sancte Dunstone, interce.
Sancte Cuthberte, interce.
Sancte Leonarde, interce.
Sancte Ægidi, intercede.
Omnes sancti Confessores intercedite pro anima eius.
Omnes sancti Monachi & Eremitæ, intercedite
Sancta Maria Magdalena, interce-

intercede.
Sancta Maria Egiptiaca, intercede.
Sancta Fælicitas, intercede.
Sancta Perpetua, intercede.
Sancta Cecilia, intercede.
Sancta Lucia, intercede.
Sancta Agatha, intercede.
Sancta Agnes, intercede.
Sancta Fides, intercede.
Sancta Catharina, interce.
Sancta Scholastica, inter.
Sancta Iuliana, intercede.
Sancta Margarita, interce.
Sancta Anastasia, intercede
Sancta Petronilla, interce.
Sancta Editha, intercede.
Sancta Brigida, intercede.
Omnes sanctæ Virgines, intercedite.
Omnes Sancti, intercedite.
Propitius esto, parce & dimitte ei omnia peccata sua Domine.
Ab omni malo, libera & defende animã eius Domine.
Ab hoste iniquo, libera & defende animam eius Domine.
Ab insidiis & laqueis Diaboli, libera.
Ab incursu malignorum spirituum, libera & def.
A timore inimicorum, lib.
Ab ira tua, libera.
A damnatione perpetua, libera.
A pœnis inferni, libera
A periculo mortis, libera.
A pondere peccatorum, libera.
Per immensam pietatem tuam, libera & defende animam eius Domine.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera.
Per sanctam circunciſionẽ tuam. libera
Per sanctam apparitionem tuam, libera
Per Baptismum tuũ, libera.
Per Ieiunium tuum, libera.
Per passionem & crucem

tuam, libera. & defende animam eius Domine.

Per pijſſimam mortem tuã libera.

Per glorioſam reſurrectionem tuam libera & defende animã eius Domine.

Per admirabilem aſcenſionem tuam, libera.

Per aduentum ſancti Spiritus paracleti. libera.

Per interceſſionem omniũ Sanctorum tuorũ, libera & defende auimam eius Domine.

In die iudicii, libera & defende animam eius Domine.

Peccatores, te rogamus audi nos.

Vt animam famuli tui (vel famulæ tuæ de principibus tenebrarum, & de locis pœnarum liberare digneris, Te rogamus audi nos.

Vt eam ab inferorum cruciatibus liberare digneris, Te rogamus.

Vt cuncta eius peccata obliuioni perpetuæ tradere digneris, Te rogamus.

Vt ei omnes lubricæ temeritatis offenſas dimittere digneris, Te rogamus.

Vt delicta iuuentutis eius & ignorantias non reminiſcaris, Te rogamus.

Vt quicquid vitiorum fallente diabolo, & propria iniquitate, atque fragilitate contraxit, clementer indulgere digneris, Te rogamus.

Vt eum in pacis ac lucis regione conſtituere digneris, Te rogamus.

Vt ei gaudium & exultationem in regno tuo, cum ſanctis

ctis & electis tuis donare digneris, Te rogamus audi.
Vt nos exaudire digneris, Te rogamus.
Fili Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tolis peccata mundi, Miserere animæ eius.
Christe Iesu, Miserere animæ eius.
Agnus Dei qui tollis peccata mũdi, Dona ei pacem, æternumque felicitatem, & gloriam sempiternam. Amen.
Proficiscere anima Christiana de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis qui te creauit: Amen. In nomine Iesu Christi Filij eius qui pro te passus est. Amen. In nomine Spiritus sancti qui in te infusus est. Amen In nomine Angelorum & Archangelorum. Amen. In nomine Thronorum & Dominationum. Amen. In nomine Principatuũ & Potestatum & omnium cælestium virtutũ. Amen. In nomine Cherubin & Seraphin: Amen. In nomine patriarcharum & prophetarum Amen. In nomine Apostolorũ & Martyrum. Amen. In nomine Episcoporũ & Confessorum. Amen. In nomine Sacerdotum & Leuitarum, & omnium Ecclesiæ graduum. Amen. In nomine Monachorum & Anachoretarum. Amen. In nomine Virginum & fidelium viduarum, Hodie in pace locus tuus fiat, & habitatio tua in cælesti Hierusalem. Amen. Oremus.

SVscipe itaque Domine seruum tuum in bonum & lucidum habitaculum tuum. Amen. Libera Domine animam serui tui ex omnibus periculis infernorum & de locis pœnarum & de omnibus doloribus tribulationum. ℟. Amen.

Libera

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Enoch & Eliam de morte communi &c. Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Lot de Sodomis, & de flamina ignis. &c. Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Iſaac de manu patris ſui Abrahæ. &c. Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Moyſen de manu Pharaonis. &c. Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Iob de paſſionibus ſuis. &c. Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Dauid de manu Goliæ, & de manu Saul regis &c. Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Danielē de lacu leonum. &c. Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti tres pueros de camino ignis ardentis. &c. Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Suſannā de falſo crimine &c. Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Petrum & Paulum de vinculis. Reſp. Amen.

Sicut liberaſti ſanctos ſeruos tuos de tormētis, ſic liberare dignaris animam ſerui tui de gehennæ incendijs, & ab omnibus anguſtijs Reſp. Amen.

Sequatur Commendatio animarum quæ habetur infra pag. 106. & dicatur in camera vel in aula ſiue nota iuxta corpus defuncti & omnia ſubſequentia ſimiliter vſque ad proceſſionem, ad hominem mortuum ſuſcipiendum.

Poſt

Post commendationem sequatur.

Resp. Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini suscipientes animam eius: ℟ Offerentes eam in conspectu Altissimi. ℣. Suscipiat te Christus qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. Offerentes.

Sequatur oratio, sine Dominus vobiscum & sine Oremus.

TIbi Domine commendamus animam famuli tui (vel famulæ tuæ) N. vt defunctus (vel defuncta) sæculo tibi viuat: & quæ per fragilitatem mundanæ conuersationis peccata admisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

MIsericordiam tuam Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, pietatis affectu rogare pro alijs cogimur, qui pro nostris supplicare peccatis nequaquam sufficimus: tamen de tua confisi gratuita pietate & inolita benignitate clementiam tuam deposcimus, vt animam famuli tui (vel famulæ tuæ) N. ad te reuertentem cum pietate suscipias. Adsit ei Angelus Testamenti tui Michael, & per manus Sanctorum Angelorum tuorum in sinu Abrahæ Patriarchæ tui, eam collocare digneris: quatenus liberata de principib⁹ tenebrarum, & de locis pœnarum, nullus iam primæuæ nativitatis, vel ignorantiæ, aut propriæ iniquitatis seu fragilitatis cōfundatur erroribus: sed potius agnoscatur a tuis, & sanctæ beatitudinis requie perfruatur, atq; cum magni iudicij dies aduenerit, inter Sanctos & electos

tuos aggregata, gloria manifestæ contemplationis tuæ perpetuò satietur. Per Christum Dominum nostrum.
Amen.

Antiph. Suscipiat te Christus qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. Psal. 113.

IN exitu Israel de Ægipto: &c. Totus Psalmus dicitur sed sine Gloria Patri. Vt inferius in officio sepulturæ. pag. Quo finito dicat Sacerdos.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori animam ad similitudinem tuam inspirare dignatus es: dum te iubente puluis in puluerem reuertitur, tu imaginem tuam cum Sanctis & electis tuis, æternis sedibus præcipias sociari, eamque ad te reuertentem, de Ægipti partibus, blandè leniterque suscipias, & Angelos tuos sanctos ei obuiam mittas, viamque illi iustitiæ demonstra, & portas gloriæ illi aperi. Repelle quæsumꝰ ab eo (vel ea) omnes principes tenebrarū, & agnosce depositum fidele quod tuum est. Suscipe Domine creaturam tuam non ex dijs alienis creatam, sed a te solo Deo viuo & vero: quia non est aliꝰ Deus præter te Domine, & non est secūdum opera tua. Lætifica clementissime Pater animam serui tui (vel ancillæ tuæ) N. & clarifica eam in multitudine misericordiæ tuæ. Ne memineris quæsumus iniquitatum eius antiquarum, & æbriatum quas suscitauit furor mali desiderij: licet enim peccerit, tamen te non negauit, sed signo

fidei

fidei insignitus (vel insignita) te qui omnia & eum (vel eam) inter omnia fecisti, fideliter adorauit. Qui viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Antiph. Chorus Angelorum. Psalmus 114.

Dilexi quoniam exaudiet. pag. 96. Item Psal. 115.

Credidi propter quod. pag 96. Item Psal. 116.

Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum. Item Psal. 117.

Confitemini Domino quoniam bonus. pag. Item Psal. 118.

Beati immaculati in via pag. 79. Sine Gloria Patri.

Finitis Psalmis incipiatur Antiphona.

Chorus Angelorum te suscipiat, & in sinu Abrahæ collocet, vt cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem. Qua finita dicat Sacerdos.

Oremus.

DIri vulneris nouitate percussi, & quodammodo cordibus sauciati, misericordiam tuam mundi Redẽptor, flebilibus vocibus imploramus: vt chari nostri (vel charæ nostræ) N. animam ad tuam clementiam (qui fons es pietatis, reuertentem blande leniterque suscipias: & si quas illa ex carnali commercio contraxit maculas, tu Deus solita bonitate clementer deleas, piè indulgeas, obliuioni in perpetuum tradas, atque hanc laudem tibi cum cæteris reddituram, & ad corpus proprium quandoque reuersu-

ram, Sanctorum tuorum cætib' aggregari præcipias. Qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Hic roget Sacerdos astantes orare pro eo: ita dicens.

Pro anima N. & pro animabus omnium fidelium defunctorum, Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animã eius. ℣. Non intres in iudicium cum seruo tuo (vel ancilla tua) Domine. ℟. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Partem beatæ resurrectionis obtineat, vitamque æternam mereatur habere in cœlis. Per te saluator mundi, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

Deus cui soli competit medicinã præstare post mortem: tribue quæsumus, vt anima famuli tui (vel famulæ tuæ) N. terrenis exuta contagijs, in tuæ redemptionis parte numeretur. Oratio.

Absolue quæsumus animam famuli tui (vel famulæ tuæ) N. & animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum: vt in resurrectionis gloria inter Sanctos & electos tuos resuscitati respirẽt. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OFFI-

DEinde si corpus regis inuicti fuerit, qui migrauit ex hoc sæculo, primum a suis cubicularijs corpus eiusdem aqua calida siue tepida lauetur. Deinde balsamo cum aromatibus vngatur per totum, & postea in panno lineo cerato inuoluatur: ita tamē quod facies & barba illius tantum pateant, & circa manus & digitos ipsius, dictus pannus ceratus ita sit dispositus, vt quilibet digitus cum pollice vtriusque manus singulatim insuatur per se, ac si manus eius chyrothecis lineis essent coopertæ. Deinde corpus induatur tunica vsque ad talos longa, & desuper pallio regali adornetur. Barba vero ipsius decenter componatur super pectus illius: & postmodum caput cum facie ipsius sudario serico cooperiatur: ac deinde corona regia aut diadema capiti eiusdem apponatur. Posteà induantur manus eius Chyrothecis, cum aurifragijs ornatis, & in medio digito dexteræ manus supponatur anulus aureus aut deauratus, & in dextera manu sua pola rotunda deaurata, in qua virga deaurata sit fixa, a manu ipsius vsque ad pectus protensa, in cuius virgæ summitate sit signum dominicæ crucis, quæ supra pectus eiusdem principis honestè debet collocari. In sinistra vero manu sceptrum deauratū habeat vsque ad aurem sinistram decenter protensum: ac postremò tibiæ & pedes ipsius caligis sericis & sandalijs induantur. Deinde dictus princeps ita adornatus cum regni sui Pontificibus & Magnatibus, cum omni reuerentia & exequijs regalibus honestissime tradatur sepulturæ.

Si vero corpus alterius fuerit, tunc tãtum lauetur corpus aqua tepida, vel calida, si placeat: & postea linteamine mundo honeste inuoluatur, & in pheretro locetur. Clericis interim dicẽtibus Vesperas de die & de sancta Maria & postea Vigilias mortuorum.

Quibus dictis dicant sine nota Psalmos sequentes.

Psal. 5.

VErba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ: Rex meus, & Deus meus.

Quoniam ad te orabo Domine: mane exaudies vocem meam.

Manè astabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.

Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum & dololum abominabitur Dominus: ego autem in multitudin misericordiæ tuæ

Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo.

Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos: dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorũ vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis doloſe

agebant,

agebant, iudica illos Deus.

Decidant a cogitationib⁹ suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te Domine.

Et lætentur omnes qui sperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices iustos

Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ: coronasti nos.

Psal. 6.

DOmine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valdè: sed tu Dñe vsquequò?

Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrimis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erube-

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur, & erubeſcant valdè velociter.

Pſalmus. 114.

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus: vocem orationis meæ.

Quia inclinauit aurem ſuam mihi: in diebus meis inuocabo.

Circundederunt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me.

Tribulationem & dolorem inueni: & nomen Domini inuocaui.

O Domine, libera animam meam, miſericors Dominus, & iuſtus: & Deus noſter miſeretur.

Cuſtodiens paruulos Dominus: humiliatus ſum, & liberauit me.

Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu.

Placebo Domino: in regione viuorum. Pſal. 115.

Credidi propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Dño: pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini inuocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: prætioſa in conſpectu Domini, mors ſanctorum eius.

O Domine

O Domine quia ego ſeruus tuus: ego ſeruus tuus, & filius ancillæ.

Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis: & nomen Domini inuocabo.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi eius: in atrijs domus Domini, in medio tui Hieruſalem.

De profundis clamaui. pag. 66. Pſal. 141.

Pſal. 129.

VOce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominum deprecatus ſum.

Effundo in conſpectu eius orationem meam: & tribulationem meam antè ipſum pronuncio.

In deficiendo ex me ſpiritum meum: & tu cognouiſti ſemitas meas.

In via hac qua ambulabam: abſconderunt ſuperbi laqueam mihi.

Conſiderabam ad dexteram, & videbam: & non erat qui cognoſceret me.

Perijt fuga a me: & non eſt qui requirat animam meam.

Clamaui ad te Domine: dixi, tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium.

Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus ſum nimis.

Libera me a perſequentibus me: quia confortati ſunt ſuper me.

Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant iuſti donec retribuas mihi.

Quibus finitis dicatur Antiphona.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Requiem æternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum. ℣. Non intres in iudicium cum seruo tuo (vel ancilla tua) Domine ℟. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

SVscipe Domine animam famuli tui (vel famulæ tuæ) N. ad te reuertentem, veste quoque cœlesti indue eam & laua eam sancto fonte vitæ æternæ: vt inter gaudentes gaudeat, & inter sapientes sapiat & inter Martyres coronata incedat, & inter Patriarchas & Prophetas proficiat, & inter Apostolos Christum sequi studeat, & inter Angelos & Archangelos claritatem Dei videat, & inter paradisi rutilos lapides gaudium Dei possideat, notitiamque mysteriorum Dei agnoscat, & inter Cherubin & Seraphin claritatem Dei videat, & inter viginti quatuor seniores cãtica canticorum audiat, & inter lucẽtes stolas suas in fonte luminis vestem lauet, & inter pulsantes, portas cœlestis Hierusalem apertas reperiat, & inter videntes Deum facie ad faciẽ videat, & inter cantãtes canticum nouum cantet, & inter audiẽtes, cœlestem sonum audiat. Per Dominum nostrum Iesum Christum &c. Amen.

Alia

Alia Oratio.

SVscipe Dñe animam famuli tui (vel famulæ tuæ) N. quam de ergastulo huius sæculi vocare dignatus es, & libera eam de principibus tenebrarũ, & de locis pœnarum vt absoluta omni vinculo peccatorum, quietis ac lucis æternæ beatitudine perfruatur, & inter sanctos & electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANima eius & animæ omnium fidelium defunctorum Per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Deinde deportetur corpus ad Ecclesiam, ibidem vel in cœmiterio humandum. Quando vero deportari debet corpus defuncti ad Ecclesiam, inprimis sumat Sacerdos spiculam & aspergat aquam benedictam super corpus examine, interim dicendo psalmum sequentem.

Psal. 129.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

FIant aures tuæ intendẽtes: in vocem deprecationis meæ.

SI iniquitates obseruaueris Domine: Dñe quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

SUstinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in Domino.

A custodia matutina vsque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia. & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus eius.

Requiem æternam dona eis Domine. & lux perpetua luceat eis. Quo dicto sequatur.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Requiem æternã dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum. ℣. Credo videre bona Domini Resp. In terra viuentium. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

INclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecemur ut animam famuli tui (vel famulæ tuæ) N. quam de hoc sæculo migrare iussisti, in pacis ac lucis regione constituas, & sanctorum tuorum iubeas esse consortem.

Fidelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus omnium fidelium defunctorum: remissionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam quam semper optauerunt pijs supplicationibus consequantur. Qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen. Requiescant in pace. Amen.

Si vero fuerit corpus mortuum cum processione sepeliendum, tunc eodem modo ordinetur p ocessio sicut in simplicibus Dominicis, præterquam quod in hac processione Sacerdos & Ministri eius in albis, cum

amictibus induti incedant, chorus autem in cappis nigris quotidie. Et cum ad locum destinatum peruenerit processio cadauer ipsum Sacerdos aqua benedicta aspergat, & postea thurificet interim dicendo psalmum **De profundis** vt supra dictum est.

Deinde in redeundo dum deportatur corpus ad Ecclesiam, cantetur sequens Antiphona cantore incipiente.

Antiphona.

Subuenite sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu altissimi. ℣. Suscipiat te Christus qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te.

Repetitur antiphona. **Subuenite.**

Deinde dicatur Psalmus **De profundis** vt supra pag 99. Et post vnumquemq; versum repetatur Antip. & postea si necesse fuerit dicatur eodem ordine psalmus **In exitu Israel.** Require post in officio sepulture pag. Deindé in introitu cæmiterij vel citius inchoetur Respon. sequens.

Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda: ℟ Quando cæli mouendi sunt & terra, dum veneris iudicare sæculum per ignem.

℣. Dies illa dies iræ calammitatis & miseriæ, dies magna & amara valde. Quando cæli.

Nunquam autem portetur corpus alicuius defuncti circa cæmiteriũ, sed directè in Ecclesiam: & si corpus Canonici vel alterius magnatis fuerit, in chorum deferatur, sin autem alterius, extra chorũ in Ecclesia post orationẽ relinquatur.

In introitu Ecclesiæ dicitur hæc antiphona cantore incipiente. Antiphona.

In Paradisum deducãt te Angeli in suum cõcentum, suscipiant te Martires & perducãt te in ciuitatem sanctam Hierusalem. vers. **Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.** Repetatur antiph. **In paradisum.** Qua finita sequatur: **Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.**

Deinde aspergat Sacerdos aqua benedicta corpus defuncti, & thurificet, rogans astantes orare pro anima defuncti, ita dicens.

Pro anima N & pro animabus omnium fidelium defunctorum. Pater noster. ℣. **Et ne nos inducas in tentationem.** ℟. **Sed libera nos a malo.** ℣. **A porta inferi.** ℟. **Erue Domine animas eorum.** ℣. **Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine.** ℟. **Quia non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens.**

vers. **Dominus vobiscum.** Resp. **Et cum spiritu tuo.**

Oremus.

SVscipe Domine seruum tuum (vel ancillam tuam) in bonum habitaculum, & da ei requiem in regno cœlestis Hierusalem: vt in sinu Abrahæ Patriarchæ tui collocatus (vel collocata) resurrectionis diem præstoletur, & inter resurgentes ad gloriam resurgat, & cum benedictis ad dexteram Dei venientibus veniat, & cum possidentibus vitam æternã possideat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Anima

Anima eius & animæ omnium fidelium defunctorum per Dei misericordiam in pace requiescant. Amen.

Deindè dicantur solemniter vigiliæ mortuorum & posteà completorium de die more solito.

Vbi vero in die sepulturæ deportatur corpus ad Ecclesiam, tunc immediatè post prædictam orationem. **Suscipe Domine,** dicatur Commendatio Animarum solenniter vt infra & finito psalmo, **Domine probasti me,** statim incipiatur Missa pro defunctis. Deinde exeat Sacerdos cum stola & aqua benedicta ad locum vbi sepeliendus est mortuus, & signo crucis signet locum, & postea aspergat aqua benedicta. Deinde accipiat Sacerdos fossorium vel aliud instrumẽtum & aperiat terram in modum crucis ad longitudinem & latitudinem corporis defuncti dicens.

Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini iusti intrabunt in eam.

Notandum est vero quod quandocunque per totum annum Missa pro corpore præsenti, anniuersario, vel trigintali eiusque in choro vel in capitulo fuerit celebranda, vbi Missa ibi etiam commendatio animarum statim post primam ante missam capitularem pro defunctis a toto choro cum nota dicatur, incipiente antiphonam aliquo de superiori gradu. Ita tamen quod si in die sepulturæ deportetur corpus ad Ecclesiã, tunc finita oratione; Suscipe Domine animam serui tui *statim sequitur commendatio animarum eodem modo & ordine, sicut post deportationem corporis ad Ecclesiam, supra dictum est. Præterea omni die per totam*

totam quadragesſimam quando de feria agitur, ſtatim poſt primam ante Miſſam capitularem dicatur in choro commendatio animarum, viſi in craſtinō feſtorum duplicium, & hoc ſinè nota quando Dirige *ſiuè nota præceſſerit. Et ſciendum eſt quod quandocunqne dicatur Commendatio animarum, ſemper dicatur ſedendo Vſque ad antiphonam poſt Laudes dicendam.*

Commendatio animarum.

Antiph. R equiem æternam. Pſal. 118.

BEati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.

Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius: in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem: in vijs eius ambulauerunt.

Tu mandaſti mandata tua: cuſtodiri nimis.

Vtinam dirigantur viæ meæ: ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.

Tunc non confundar: cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.

Confitebor tibi in directione cordis: in eo quod didici iudicia iuſtitiæ tuæ.

Iuſtificationes tuas cuſtodiā: non me derelinquas vſquequaque.

In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos.

In toto

In toto corde meo exquisiui te: ne repellas me a mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua: vt non peccem tibi.

Benedictus es Domine: doce me iustificationes tuas

In labijs meis pronunciaui: omnia iudicia oris tui.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum: sicut in omnibus diuitijs.

In mandatis tuis exercebor: & considerabo vias tuas.

In iustificationibus tuis meditabor: non obliuiscar sermones tuos.

Retribue seruo tuo, viuifica me: & custodiam sermones tuos.

Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra: non abscõdas a me mandata tua.

Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas: in omni tempore.

Increpasti superbos: maledicti qui declinant a mandatis tuis.

Aufer a me opprobrium & contemptum: quia testimonia tua exquisiui.

Etenim sederunt principes, & aduersum me loquebantur: seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.

Nam & testimonia tua meditatio mea est: consilium meum iustificationes tuæ.

Adhæsit pauimento anima mea: viuifica me secundum verbum tuum.

Vias meas enunciaui, & exaudisti me: doce me iustificationes tuas.

Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me; & exercebo in mirabilibus tuis.

Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amoue a me, & de lege tua miſerere mei.

Viam veritatis elegi: iudicia tua non ſum oblitus.

Adhæſi teſtimonijs tuis Domine: noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri: cum dilataſti cor meum.

LEgem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper.

Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: & cuſtodiam illam in toto corde meo.

Deduc me in ſemita mandatorum tuorum: quia ipſam volui

Inclina cor meum in teſtimonia tua: & non in auaritiam.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.

Salue ſeruo tuo eloquium tuum: in timore tuo.

Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum; quia iudicia tua iucunda.

Ecce concupiui mandata tua: in æquitate tua viuifica me.

Et veniat ſuper me miſericordia tua Domine: ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum.

Et reſ-

Et respondebo exprobantibus mihi verbum: quia speraui in sermonibus tuis.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque: quia in iudicijs tuis supersperaui.

Et custodiam legem tuam semper: in sæculum, & in sæculum sæculi.

Et ambulabam in latitudine: quia mãdata tua exquisiui.

Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum: & non confundebor.

Et meditabor in mandatis tuis: quæ dilexi.

Et leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi: & exercebor in iustificationibus tuis.

Memor esto verbi tui seruo tuo: in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consolata est in humlitate mea: quia eloquium tuum viuificauit me.

Superbi iniquè agebant vsquequaque: a lege autem tua non declinaui.

Memor fui iudiciorum tuorum a sæculo Domine: & consolatus sum.

Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Cantabiles erant iustificationes tuæ: in loco peregrationis meæ.

Memor fui nocte nominis tui Domine: & custodiui legem tuam.

Hæc facta est mihi: quia iustificationes tuas exquisiui.

P ortio mea Domine: dixi custodire legem tuam.

D eprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundum eloquium tuum.

C ogitaui vias meas: & cõuerti pedes meos in testimonia tua.

P aratus sum, & non sum turbatus: vt custodiam mandata tua.

F unes peccatorum circumplexi sunt me: & legem tuam non sum oblitus.

M edia nocte surgebam ad confitendum tibi: super iudicia iustificationis tuæ.

P articeps ego sum omnium timentium te: & custodientium mandata tua.

M isericordia tua Domine plena est terra: iustificationes tuas doce me.

B Onitatem fecisti cum seruo tuo Domine, secundum verbum tuum.

B onitatem, & disciplinam, & scientiam doce me; quia mandatis tuis credidi,

P riusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui.

B onus es tu: & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.

M ultiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

C oagulatum est sicut lac cor eorum: ego vero legem tuam meditatus sum.

B onum mihi quia humiliasti me: vt discam iustificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui: super millia auri & argenti.

Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me: da mihi intellectum vt discam mandata tua.

Qui timent te videbunt me, & lætabuntur: quia in verba tua supersperaui.

Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua: & in veritate tua humiliasti me.

Fiat misericordia tua vt consoletur me: secundum eloquium tuum seruo tuo.

Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam: quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur superbi, quia iniustè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

Conuertantur mihi timentes te: & qui nouerunt testimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis: vt non confundar.

DEfecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum supersperaui.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum: dicentes quando consolaberis me.

Quia factus sum sicut vter in pruina: iustificationes tuas non sum oblitus.

Quot sunt dies serui tui? quando facies de persequentibus me iudicium?

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non vt lex tua.

Omnia mãdata tua veritas: iniqui persequuti sunt me, adiuua me.

Paulominus consummauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

Secundum misericordiam tuam viuifica me: & custodiam testimonia oris tui.

In æternum Domine: verbum tuum permanet in cælo.

In generatione, & generationem veritas tua: fundasti terram & permanet.

Ordinatione tua perseverat dies: quoniam omnia seruiunt tibi.

Nisi quod lex tua meditatio mea est: tunc fortè perijssem in humiltate mea.

In æternum non obliuscar iustificationes tuas: quia in ipsis viuificasti me.

Tuus sum ego, saluum me fac: quoniam iustificationes tuas equisiui.

Me expectauerunt peccatores vt perderent me: testimonia tua intellexi.

Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

QVomodò dilexi legem tuam Domine: tota die meditatio mea est.

Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo: quia in æternum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.

Super senes intellexi: quia mandata tua quæsiui.

Ab omni via mala prohibui pedes meos: vt custodiam verba tua.

A iu-

A iudicijs tuis non declinaui : quia tu legem posuisti mihi.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua : super mel ori meo.

A mandatis tuis intellexi : propterea odiui omnem viam iniquitatis.

Lucerna pedibus meis verbum tuum : & lumen semitis meis

Iuraui & statui : custodire iudicia iustitiæ tuæ.

Humiliatus sum vsquequaque : Domine viuifica me secundum verbum tuum.

Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine : & iudicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis semper: & legem tuam non sum oblitus.

Posuerunt peccatores laqueum mihi : & de mandatis tuis non erraui.

Hæreditate acquisiui testimomonia tua in æternum : quia exultatio cordis mei sunt.

Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.

INiquos odio habui : & legem tuam dilexi.

Adiutor & susceptor meus es tu ; & in verbum tuum supersperaui.

Declinate a me maligni : & scrutabor mandata Dei mei.

Suscipe me secundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea.

A diuua me, & ſaluus ero: & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.

Spreuiſti omnes diſcedentes a iudicijs tuis: quia iniuſta cogitatio eorum.

Prævaricantes reputaui omnes peccatores terræ: ideò dilexi teſtimonia tua.

Confige timore tuo carnes meas: iudicijs enim tuis timui.

Feci iudicium & iuſtitiam: non tradas me calumniantibus me.

Suſcipe ſeruum tuum in bonum: non calumnientur me ſuſperbi.

Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum: & in eloquium iuſtitiæ tuæ.

Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam: & iuſtificationes tuas doce me.

Seruus tuus ſum ego, da mihi intellectum: vt ſciam teſtimonia tua.

Tempus faciendi Domine: diſſipauerunt legem tuam.

Ideo dilexi mandata tua: ſuper aurum & topazion.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.

Mirabilia teſtimonia tua Domine: ideo ſcrutata eſt ea anima mea.

Declaratio ſeruorum tuorum illuminat: & intellectum paruulis

Os meum aperui, & attraxi ſpiritum quia mandata tua deſiderabam.

Aſpice

A ſpice in me, & miſerere mei: ſecundum iudicium diligentium nomen tuum.

G reſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum: & non dominetur mei omnis iniuſtitia.

R edime me a calumnijs hominum: vt cuſtodiam mandata tua.

F aciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum: & doce me iuſtificationes tuas.

E xitus aquarum deduxerunt oculi mei: quoniam non cuſtodierunt legem tuam.

I uſtus es Domine: & rectum iudicium tuum.

M andaſti iuſtitiam teſtimonia tua: & veritatem tuam nimis.

T abeſcere me fecit zelus meus: quia obliti ſunt verba tua inimici mei.

I gnitum eloquium tuum vehementer: & ſeruus tuus dilexit illud.

A doleſcentulus ſum ego, & contemptus: iuſtificationes tuas non ſum oblitus.

I uſtitia tua iuſtitia in æternum: & lux tua veritas.

T ribulatio & anguſtia iuuenerunt me: mandata tua meditatio mea eſt.

Æ quitas teſtimonia tua in æternum: intellectum da mihi & viuam.

C Lamaui in toto corde meo, exaudi me domine: iuſtificationes tuas requiram.

C lamaui ad te, ſaluum me fac: vt cuſtodiam mandata tua.

Præueni in maturitate, & clamaui: quia in verba tua ſuperſperaui.

Præuenerunt oculi mei ad te diluculò: vt meditarer eloquia tua.

Vocem meam audi, ſecundum miſericordiam tuam Domine & ſecundum iudicium tuum viuifica me.

Appropinquauerunt perſequentes me iniquitati: a lege autem tua longè facti ſunt.

Propé es tu Domine: & omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognoui de teſtimonijs tuis: quia in æternum fundaſti ea.

Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non ſum oblitus.

Iudica iudicium meum, & redime me: propter eloquium tuum viuifica me.

Longé a peccatoribus ſalus: quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt

Miſericordiæ tuæ multæ Domine: ſecundum iudicium tuum viuifica me.

Multi qui perſequuntur me, & tribulant me: a teſtimonijs tuis non declinaui.

Vidi præuaricantes, & tabeſcebam: quia eloquia tua non cuſtodierunt.

Vide quoniam mandata tua dilexi Domine: in miſericordia tua viuifica me.

Principium verborum tuorum veritas: in æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ.

Princi-

PRincipes perſequuti ſunt me gratis: & a verbis tuis formidauit cor meum.

Lætabor ego ſuper eloquia tua: ſicut qui inuenit ſpolia multa.

Iniquitatem odio habuiret abominatus ſum: legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam: & non eſt illis ſcandalum.

Expectabam ſalutare tuum Domine: & mandata tua dilexi.

Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua: & dilexit ea vehementer.

Seruaui mandata tua, & teſtimonia tua: quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo Domine: iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo: ſecundum eloquium tuum eripe me.

Eructabunt labia mea hymnum: cum doceris me iuſtificationes tuas.

Pronunciabit lingua mea eloquium tuum: quia omnia mandata tua æquitas.

Fiat manus tua vt ſaluet me: quoniam mandata tua elegi.

Concupiui ſalutare tuum Domine: & lex tua meditatio mea eſt.

Viuet anima mea; & laudabit te: iudicia tua adiuuabũt me.

Erraui ſicut ouis quæ perijt, quære ſeruum tuum: quia mandata tua non ſum oblitus.

Finitis Pſalmis repetatur antiphona.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Deinde dicatur. Pater noſter. Et ſinè pronunciatione (Et ne nos inducas) ſequatur ſinè nota iſte pſalmus. 138. Domine probaſti me &c. habetur infra pag.

Deinde ſine interuallo incipiatur Miſſa pro defunctis, Sacerdote interim exeunte ad locum ſepulchri ſignandum (ſi corpꝰ præſens affuerit) vt ſupra dictum eſt. Tamen quandocunque ſigillatim extra conuentum dicitur commendatio animarum, tunc immediate poſt pſalmum Domine probaſti, ſequatur.

℣. Requiem æternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum. ℣. Credo videre bona Domini. ℟. In terra viuentium. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

TIbi Domine commendamus animas famulorum, famularumque tuarum: vt defuncti ſæculo tibi viuant, & quæ per fragilitatem mundanæ conuerſationis peccata admiſerunt, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Nunquam dicatur alia commendatio in Eccleſia Sariſburienſi ſiue corpus præſens fuerit, ſiue non.

Ritus

Ritus ſepeliendi Mortuos.

POſt Miſſam accedat Sacerdos ad caput defuncti alba indutus abſque cappa ſerica, & duo clerici de ſecunda forma, ad caput defuncti ſtantes incipiat tribus vicibus antiphonam ſequentem quam chorus ſingulis vicibus totam proſequatur vſque in finem.

Antiph. Circundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circundederunt me.

Deinde poſt tertiam repetitionem ſequatur.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Non dicatur pater noſter nec Dominus vobiſcum, neque Oremus ſed tantum oratio, ſacerdote dicente modeſta voce, videlicet ſine nota.

Non intres in iudicium cum ſeruo tuo (vel ſeruula tua) Domine, quoniã nullus apud te iuſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum tribuatur remiſſio: non ergo eum (vel eã) tua quæſumus iudicialis ſententia premat, quẽ (vel quam) tibi vera ſupplicatio fidei Chriſtianæ commendat: ſed gratia tua illi ſuccurrente mereatur euadere iudicium vltionis qui (vel quæ) dum viueret inſignitus (vel inſignita) eſt ſignaculo ſanctæ Trinitatis. In qua viuis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum Amen.

Eodem modo dicuntur orationes ſequentes. Deinde incipiat cantor.

℟. Qui Lazarum reſuſcitaſti a monumento fœtidum:
* Tu eis Domine dona requiem & locum indulgentiæ.

℣. Qui venturus es iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Tu eis.

Et percantetur a choro cum suo versu, & interim Sacerdos cum Thuribulo circumeundo corpus illud incenset. Similiter fiat in Respõsorijs sequentibus. Deinde dicitur. **Kyrie eleison. Christi eleison. Kyrieeleison.** Siné pater noster, & siné Dominus vobiscum sed tantum cum O remus.

DEus cui omnia viuunt, cui non pereunt moriẽdo corpora nostra, sed mutantur in melius te supplices deprecamur, vt quicquid famulus tuus (vel famula tua) vitiorum tuæ voluntati contrarium, fallente diabolo, & propria iniquitate atque fragilitate contraxit, tu pius & misericors abluas indulgendo, eiusque animam suscipi iubeas, per manus sanctorum Angelorum tuorum deducẽdam in sinum Patriarcharum tuorum, Abrahæ scilicet amici tui, & Isaac electi tui, atque Iacob dilecti tui quo aufugit dolor & tristitia, atque suspirium fidelium quoque animæ fælici iucũditate lætantur; & in nouissimo magni iudicij die inter sanctos & in electos tuos eam facias perpetuæ gloriæ tuæ percipere portionem, quam oculus non vidit, nec aures audiuit, & in cor hominis non ascendit quam præparasti diligentibus te. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℟. Heu mihi Dñe quia peccaui nimis in vita mea; quid faciam miser? vbi fugiam, nisi ad te Deus meus? miserere mei,* Dum veneris in nouissimo die. ℣. Anima mea turbata

bata est valdé, sed tu Domine succure ei. Dum veneris.

Et percantetur a choro cum suo versu, & interim incensetur corpus vt supra. Deinde sequatur. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Sine Pater noster, & sine Dominus vobiscum, sed tantum cum.

Oremus.

FAc quæsumus Domine hanc cum seruulo tuo defuncto (vel seruula tua defuncta) misericordiam: vt factorum suorum in pœnis non recipiat vicem: qui (vel quæ) tuã in votis tenuit voluntatem: & quia hic illum (vel illam) vera fides iunxit fidelium turmis, illic eum (vel eam) tua miseratio societ angelicis choris. Per christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde incipiat cantor Responsorium.

Libera me Domine de morte æterna in illa tremenda quando cæli mouendi sunt & terra *Dum veneris iudicare sæculum per ignem. ℣. Dies illa, dies iræ calamitatis & miseriæ, dies magna & amara valdé. Dum veneris iudicare.

Et percantetur a choro cum vno versu tantum, scilicet Dies illa vt supra, & interim incensetur corpus a Sacerdote semel circumeundo, & postea aspergatur aqua benedicta: deinde sequatur.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Deinde roget Sacerdos circumstantes orare pro anima defuncti dicens.

Pro anima N. & pro animabus omnium fidelium defunctorum,

ctorum. Pater noster ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Non intres in iudicium cum seruo tuo (vel seruula tua) Domine. ℟. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

℣. A porta inferi ℟. Erue Domine animas eorum.

V. Credo videre bona Domini. ℟. In terra viuentium.

V. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus

INclina Domine aurem tuam ad preces nostras quibus misericordiam tuam supplices deprecamur: vt animam famuli tui (vel famulæ tuæ) quam de hoc sæculo migrare iussisti, in pacis ac lucis regione constituas, & Sanctorum tuorum iubeas esse consortem. Per christum Dominum nostrum. Amen.

Hic deportetur corpus ad sepulchrum cantore incipiente.

Antiph. In paradisum. Psal. 113.

IN exitu Israel de Ægipto: domus Iacob de populo barbaro.

Facta est Iudæa sanctificatio eius: Israel potestas eius.

Mare vidit, & fugit: Iordanus conuersus est retrorsum.

Montes exultauerunt vt arietes: & colles sicut agni ouium.

Quid

Quid est tibi mare quod fugisti? & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum.

Montes exultastis sicut arietes: & colles sicut agni ouium.

A facie Domini mota est terra: a facie Dei Iacob.

Qui conuertit petram in stagna aquarum: & rupes in fontes aquarum.

Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua, & veritate tua: nequando dicant gentes vbi est Deus eorum?

Deus autem noster in cœlo: omnia quæcunque voluit fecit.

Simulachra gẽtium argentum, & aurum: opera manuum hominum.

Os habent, & non loquentur: oculos habent & non videbunt.

Aures habent & non audient: nares habent & non odorabunt.

Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.

Similles illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel sperauit in Domino: adiutor eorum & protector eorum est.

Domus Aaron sperauit in Domino: adiutor eorum & protector eorum est.

Qui timent Dominum sperauerunt in Domino: adiutor eorum & protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri: & benedixit nobis.

Benedixit domui Israel: benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus qui timent Dominum: pusillis cum maioribus.

Adijciat Dominus super vos: super vos, & super filios vestros.

Benedicti vos a Domino: qui fecit cælum & terram,

Cælum cæli Dño: terram autem dedit filijs hominum.

Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos qui viuimus, benedicimus Domino: ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Alius psalmus si tantum restat iter, scilicet psal. 24.

Ad te Domine leuaui animam meam. Habetur in Breuiario feria tertia ad primam.

Finito psalmo vel psalmis dicatur iste versus.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

Deinde repetatur Antiphona.

In paradisum deducant te Angeli, in suum conuentum suscipiat te Martires, & perducant te in ciuitatem sanctam Hierusalem.

Quibus dictis dicat Sacerdos sine Dominus vobiscum sed tantum cum. **Oremus.** Humili voce.

Piæ

PIæ recordationis affectu (fratres chariſſimi) commemorationem faciamus chari noſtri quem (vel charæ noſtræ quam) Dominus noſter de rentationibus huius ſæculi aſſumpſit. Obſecremus miſericordiam Dei noſtri, vt ipſe ei tribuere dignetur placitam & quietam manſionem, & remittat ei omnes libricæ temeritatis offenſas: vt conceſſa ſibi venia plenæ indulgentiæ quicquid in hoc ſæculo proprio vel alieno reatu deliquit, totam ineffabili pietate ac benignitate ſua deleat, & abſtergat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. A men.

Alia oratio cum. O remus.

TE Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſuppliciter deprecamur pro ſpiritu fratris noſtri, quem (vel ſororis noſtræ quam) a voraginibus huius ſæculi accerſiri iuſſiſti: vt digneris Domine dare ei lucidum locum refrigerij & quietis: Liceat ei tranſire portas inferorum & pænas tenebrarum, maneatque in manſionibus ſanctorum, & in luce ſancta quam olim Abrahæ promiſiſti & ſemini eius. Nullam læſionem ſentiat ſpiritus eius; ſed cum magnus ille dies reſurrectionis aduenerit, reſuſcitate eum (vel eam) digneris vna cum ſanctis & electis tuis, deleaſque eius omnia delicta atque peccata vſque ad nouiſſimum quadrantem, tecumque immortalitatis tuæ vitam & regnum conſequatur æternum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Finitis orationibus aperiatur ſepulchrum, cantore incipiente. Antiph. Aperite. pſal. 117.

COnfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Dicat nunc Iſrael quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſerecordia eius.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

De tribulatione inuocaui Dominum: & exaudiuit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adiutor: & ego deſpiciam inimicos meos.

Bonum eſt confidere in Domino: quam confidere in homine.

Bonum eſt ſperare in Domino: quam ſperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos.

Circundantes circundederunt me: & in nomine Domini quia vltus ſum in eos.

Circundederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis inſpinis: & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos.

Impulſus, euerſus ſum vt caderem: & Dñus ſuſcepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.

Vox exultationis, & ſalutis: in tabernaculis iuſtorum.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, ſed viuam: & narrabo opera Domini.

Caſtigans caſtigauit me Dominus: & morti non tradidit me.

Aprite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas, confitebor Domino: hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam.

Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

Lapidem quem reprobauerunt ædificantes: hic factus eſt in caput Anguli.

A Domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris.

Hæc dies quam fecit Dñus: exultemus & lætemur in ea.

O Domine ſaluum me fac, o Domine benè proſperare, benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.

Conſtitui te diem ſolennem in cõdenſis: vſque ad cornu Altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

Confitemini Domino quoniam bonº: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Finito plaſmo dicatur Antiphona.

COnfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicat nunc Israel quoniam bonus: quoniam in sæculum miserecordia eius.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in sæculum misericordia eius.

De tribulatione inuocaui Dominum: & exaudiuit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adiutor: & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino: quam confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino: quam sperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.

Circundantes circundederunt me: & in nomine Domini quia vltus sum in eos.

Circundederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.

Impulsus, euersus sum vt caderem: & Dñus suscepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis, & salutis: in tabernaculis iustorum.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, ſed viuam: & narrabo opera Domini.

Caſtigans caſtigauit me Dominus: & morti non tradidit me.

Aprite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas, confitebor Domino: hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam.

Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

Lapidem quem reprobauerunt ædificantes: hic factus eſt in caput Anguli.

A Domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris.

Hæc dies quam fecit Dñus: exultemus & lætemur in ea.

O Domine ſaluum me fac, o Domine benè proſperare, benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.

Conſtitui te diem ſolennem in cõdenſis: vſque ad cornu Altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

Confitemini Domino quoniam bonꝰ: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Finito plaſmo dicatur Antiphona.

A perite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini iusti intrabunt in eam.

Qua dicta dicat Sacerdos. O remus.

OBsecramus misericordiam tuam omnipotens æterne Deus qui hominem ad imaginẽ tuam creare dignatus es: vt animã famuli tui (vel famulæ tuæ) N. quam hodierna die rebus humanis eximi, & ad te accersiri iussisti, blandè & misericorditer susscipias. Non ei dominentur vmbræ mortis, nec tegat eam chaos & caligo tenebrarum: sed exuta omnium criminum labe, in sinu Abrahæ collocata, locum refrigerij se adeptam esse gaudeat: vt cum dies iudicij aduenerit, cum sanctis & electis tuis, eam resuscitari iubeas. Per Christum. Dominũ nostrum A men.

Alia oratio cum O remus.

DEus qui iustis supplicationibus semper præsto es, qui pia vota dignaris intueri, da famulo tuo (vel famulæ tuæ) N. cuius depositioni hodiè officia humanitatis exhibemus, cum sanctis atque fidelibus tuis beati muneris portionem. Per christum Dominum nostrum. A men.

Deinde dicatur Benedictio sepulchri. sine Oremus hoc modo.

ROgamus te Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: vt bene ✠ dicere & sancti ✠ ficare digneris hoc sepulchrum, & corpus in eo collocandum: vt sit remedium salutare in eo quiescenti, & redẽptio animæ eius, atque tutela, & munimen contra sæua iacula inimici. Per christum Dominum nostrum. A men.

Alia

Alia benedictio Tumuli.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram.

Bene ✠ dic Domine locum ſepulchri huius, ſicut benedixiſti ſepulchra Abrahæ, Iſaac, & Iacob.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. ℟. Et ſalutare tuum da nobis. Oremus.

DEus qui fundaſti terra, & formaſti cœlos, qui omnia ſyderibus inſtituta fixiſti, qui captum laqueis mortis hominem lauacri ablutione reparas: qui ſepultos Abrahã, Iſaac, & Iacob in ſpelunca duplici, in libro vitæ, ac totius gloriæ principes aduotaſti benedicendos: ita bene ✠ dicere digneris hunc famulum tuum (vel hanc famulam tuam, vt eum (vel eam) requieſcere facias, & in ſinu Abrahæ collocare digneris: qui Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, deuictis laqueis infernorum reſurgere, & in ſe credentium ſuorum membra reſuſcitare iuſſiſti. Qui uenturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

REſpice Domine ſuper hanc fabricam ſepulturæ, & deſcendat in eam Spiritus tuus, vt te iubente ſit ei in hoc loco quieta dormitio, & tempore iudicij cum omnibus ſanctis ſit vera reſurrectio, te præſtante Domino noſtro, qui in Trinitate perfecta viuis & regnas per cuncta ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Hic

Hic aſpergatur aqua benedicta ſuper ſepulchrum, & incenſetur ſepulchrum. Finitis orationibus ponatur corpus in ſepulchro cantore incipiente Antipho.

Ingrediar. Pſal. 41.

QVemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarũ: ita deſiderat anima mea ad Deus.

SItiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

FUerunt mihi lachrimæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?

HÆc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei.

IN voce exultationis, & confeſſionis: ſonus epulantis.

QUare triſtis es anima mea? & quare conturbas me.

SPera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.

AD meipſum anima mea cõturbata eſt: propterea memor ero tui, de terra iordanis, & Hermonij a monte modico.

AByſſus abyſſum inuocat: in voce cataractarum tuarum.

OMnia excelſa tua, & fluctus tui: ſuper me tráſierunt.

IN die mandauit Dominus miſericordiam ſuam: & nocte canticum eius.

APud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, Suſceptor meus es.

QUarè oblitus es mei? & quarè contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum

Dum confringuntur ossa mea: exprobauerunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies, Vbi est Deus tuus? quarè tristis es anima mea, & quarè conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei & Deus meus.

Finito psalmo repetatur Antiphona.

Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei.

Qua dicta dicat Sacerdos Orationem hoc modo.

ORemus (fratres Chariſſimi) pro ſpiritu chari noſtri (vel charæ noſtræ) N. quem Dominus de laqueo huius ſæculi liberare dignatus eſt, cuius corpuſculum hodie ſepulturæ traditur, vt eum (vel eam) pietas Domini in ſinu Abrahæ collocare dignetur, vt cum magni iudicij dies aduenerit inter Sanctos & electos ſuos eum (vel eam) in parte dextera collocandum (vel collacandam) reſuſcitari faciat. Qui viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Alia oratio cum Oremus.

DEus qui humanarum animarum æternus amator es: animã famuli tui (vel famulæ tuæ) N. quam vera dũ in corpore maneret tenuit fides, ab omni cruciatu inferorum redde extorrem: vt ſegregata ab infernalibus clauſtris, Sanctorũ tuorum mereatur adunari conſortijs. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Finitis orationibus claudatur ſepulchrum ponente prius

Sacerdote absolutionem super pectus defuncti sic dicendo.

DOminus Iesus Christus qui beato Petro Apostolo suo, cæteris que discipulis suis licentiam dedit ligandi atque soluendi, ipse te N. absoluat ab omni vinculo delictorum: & in quantum meæ fragilitati permittitur, precor sis absolutus (vel absoluta) ante tribunal eiusdem Domini nostri Iesu Christi, habeasque vitam æternam, & viuas in sęcula sęculorum. ℟. Amen.

Hic aspergatur Tumulus aqua benedicta, & incensetur, cantore incipiente.

Antipho. Hæc requies mea. Psal 131.

MEmento Domine Dauid: & omnis mansuetudinis eius.

Sicut iurauit Domino: vota vouit Deo Iacob.

Si introiero in tabernaculum domus meæ: si ascendero in lectum strati mei.

Si dedero somnum oculis meis: & palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino: tabernaculum Deo Iacob.

Ecce audiuim⁹ eã in Ephrata: inuenimus eã in cãpis siluæ.

Introibimus in tabernaculum eius: adorabim⁹ in loco vbi steterunt pedes eius.

Surge Dñe in requiem tuã: tu & arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur iustitiam: & sancti tui exultent.

Propter Dauid seruũ tuum: non auertas faciem Christi tui.

Iuranit

Iurauit Dominus Dauid veritatem & non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Si cuſtodierint filij tui teſtamẽtum meum: & teſtimonia tua hæc quæ docebo eos.

Et filij eorum vſque in ſæculum: ſedebunt ſuper ſedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi.

Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo quoniam elegi eam.

Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius ſaturabo panibus.

Sacerdotes eius iuduam ſalutari: & ſancti eius exultatione exultabunt.

Illuc producã cornu Dauid: paraui lucernã Chriſto meo.

Inimicos eius induam confuſione: ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.

Finito pſalmo ſequatur Antiph.

Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo quoniam elegi eam. Qua dicta dicat Sacerdos orationem, cum

Oremus.

DEus apud quem ſpiritus mortuorum viuunt & in quo electorũ animæ depoſito carnis onere, plena fælicitate lætãtur: preſta ſupplicãtib⁹ nobis, vt anima famuli tui (vel famulæ tuæ) N. quæ temporali per corpus viſionis hui⁹ luminis caruit viſu, æternæ illi⁹ lucis ſolatio potiatur. Non eam tormẽtum mortis attingat, nec dolor horrẽdę vi

sionis afficiat: non pœnalis timor excruciet, non reorum peſſima catena conſtringat, ſed conceſſa ſibi venia omnium delictorum, optatæ quietis conſequatur gaudia repromiſſa. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Alia oratio cum Oremus.

TV Domine Deus omnipotens, precibus noſtris aurē pietatis accōmodare digneris, tu miſeris opem feras, & miſericodiam largiaris, & ſpiritum famuli tui (vel famulæ tuæ) N. vinculis corporalibus liberatum in pacem Sanctorū tuorum recipias, vt locum pœnalem & gehennæ ignem, in regionem viuentium tranſlatus, euadat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Finitis orationibus executor officij terram ſuper corpus ad modum crucis ponat, & corpus thurificet & aqua benedicta aſpergat. Et dum ſequens pſalmus canitur corpus omnino cooperiatur, cantore incipiente. Antiphona. De terra plaſmaſti me. Pſal. 138.

DOmine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.

Intellexiſti cogitationes meas de longē: ſemitam meam & funiculum meum inueſtigaſti.

Et omnes vias meas præuidiſti: quia non eſt ſermo in lingua mea.

Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima, & antiqua: tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuā.

Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: cōfortata eſt, & non potero ad eam.

Quo

Quo ibo a ſpiritu tuo? aut quo a facie tua fugiam?

Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum ades.

Si ſumpſero pennas meas diluculo: & habitauero in extremis maris.

Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.

Et dixi, forſitan tenebræ conculcabunt me: & vox illuminatio mea in delijcijs meis.

Quia tenebræ non obſcurabuntur a te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

Quia tu poſſediſti renes meos: ſuſcepiſti me de vtero matris meæ.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis.

Non eſt occultatum os meum a te, quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur: dies formabuntur & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.

Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc ſum tecum.

Si occideris Deus peccatores: viri ſanguinum declinate a me.

Quia dicitis in cogatione: accipient in vanitate ciuitates ſuas.

Nonne qui oderunt te Domine, oderam: & super inimicos tuos tabescebam?

Perfecto odio oderam illos: & inimici facti sunt mihi.

Proba me Deus, & scito cor meum: interroga me, & agnosce semitas meas.

Et vide si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna. Finito Psalmo tota dicatur Antiphona.

De terra plasmasti me, & carnem induisti me redemptor meus Domine, resuscita me in nouissimo die.

Qui dicta dicat Sacerdos sine Dñs vobisc. & sine Oremus Commendo animam tuam Deo patri omnipotenti, terram terræ, cinerem cineri, puluerem pulueri, In nomine Patris, & Filij; & Spiritus Sancti. Amen.

Deindé dicat Sacerdos hanc orationem, sine Oremus.

TEmeritatis quidem est Domine, vt homo hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem tibi Domino Deo nostro audeat commendare: sed quia terra suscipit terram, & puluis conuertitur in puluerem, donec omnis caro in suam redigatur originem; inde tuam Deus pijssime pater lachrymabiliter quæsumus pietatem, vt huius famuli tui (vel famulæ tuæ) N. animā quam creasti de huius mundi voraginē cœnolenta ad patriam ducas, Abrahæ amici tui sinu recipias, & refrigerij rore perfundas. Sit ab æstuantis gehennæ truci incendio segregata, & beatæ requiei (te donante) coniuncta. Et si quæ illi sunt Domine dignę cruciatibus culpæ, tu eas gratia tuæ mitissimæ lenitatis indulge, ne peccati vicem, sed indulgentiæ tuæ piam sentiat boni-

bonitatem. Cumque finito mundi termino ſupremum cunctis illuxerit regnum, nouus (vel noua) homo Sanctorum omnium cætibus aggregatus (vel aggregata) cum electis tuis reſurgat in parte dextra coronandus (vel coronanda) Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Alia oratio. Oremus

DEus vitæ dator, & humanorum corporum reparator qui te a peccatoribus exorari voluiſti; exaudi preces quas ſpeciali deuotione pro anima famuli tui (vel famulæ tuæ) N tibi lachrymabiliter fundimus: vt liberare eam ab inferorum cruciatibus, & collocare eam inter agmina Sanctorum tuorum digneris: veſte quoque cœleſti, & ſtola immortalitatis iudui, & paradiſi amœnitate confoueri iubeas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Finita oratione incipiat cantor Antiphona.

Omnis ſpiritus. Pſal. 148.

LAudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelſis.

Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.

Laudate eum ſol & luna: laudate eum omnes ſtellæ & lumen.

Laudate eum cœli cœlorum: & aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.

Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.

Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi: præceptum poſuit & non præteribit.

Laudate

Laudate Dominum de terra: dracones, & omnes abyſſi.

Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.

Montes & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.

Beſtiæ, & vniuerſa pecora: ſerpẽtes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ.

Iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum eſt nomen eius ſolius.

Confeſſio eius ſuper cœlum & terram: & exaltauit cornu populi ſui.

Hymnus omnibus ſanctis eius filijs Iſrael: populo appropinquanti ſibi. Pſal. 149.

CAntate Domino canticum nouum: laus in Eccleſia Sanctorum.

Lætetur Iſrael in eo, qui fecit eum: & filiæ Sion exultent in rege ſuo.

Laudent nomen eius in choro: in tympano & pſallterio pſallant ei.

Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo: & exaltauit manſuetos in ſalutem.

Exultabunt ſancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis.

Exultationes Dei in gutture eorum: & gladij ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus: & increpationes in populis.

Adal-

Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.

Vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus Sanctis eius Psal. 150.

LAudate Dominum in Sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio & cythara.

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dñum.

Finitis psalmis dicatur Antiph scilicet.

Omnis spiritus laudet Dominum.

Qua dicta dicat Sacerdos, sine Dominus vobiscum & sine Oremus

DEbitum humani corporis sepeliendi officium fideliũ more complentes, Deum cui omnia viuunt fideliter deprecamur: vt hoc corp⁹ chari nostri (vel charæ nostræ) N. a nostra infirmitate sepultum, in ordine Sanctorum suorum resuscitet, & eius spiritum Sanctis ac fidelibus aggregari iubeat, cum quibus inenarrabili gloria & perenni fœlicitate perfrui mereatur. Per Dominũ nostrum Iesum Christũ Filium eius, qui cum eo viuit & regnat in vnitate Spirit⁹ Sancti Deus. Per oñia sæcula sæculorũ. ℟. Amen.

Finita oratione incipiat Sacerdos Antiphonam & intonetur canticum Benedictus, & cantetur ſolenniter ſicut ad matutinum. Antiph. Ego ſum.

Canticum Zachariæ.

Benedictus Dominus Deus Iſrael: quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis: in domo Dauid pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os Sanctorum: qui a ſæculo ſunt prophetarum eius.

Saluten ex inimicis noſtris: & de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum: daturum ſe nobis.

Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati: ſeruiamus illi.

In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo: omnib⁹ diebus noſtris.

Et tu puer propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius: in remiſſionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Finito cantico, tota dicatur Antiphona.

Ego

Ego sum resurrectio & vita qui credit in me etiam si mortuus fuerit, vivet, & omnis qui vivit & credit in me non moriatur in æternum.

Qua dicta sequatur hoc modo.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Hic roget Sacerdos circumstantes orare pro anima defuncti dicens.

Pro anima N. & pro animabus omnium fidelium defunctorum; Pater noster.

Deindè dicat Sacerdos.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Requiem æternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Credo videre bona Domini. ℟. In terra viventium.

℣. Non intres in iudicium cum seruo tuo Dñe.

℟. Quia non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus origo pietatis, pater misericordiarum, solamen tristium, indultor criminum, de cuius munere venit omne quod bonum est, & procedit, respice propitius supplicum preces: Et quamuis propria nos reputet indignos conscientia, te dignum nostris flecti petitionibus:

pulsamus tamen quantulumcunque conceditur aures tuæ pietatis. Nam si omittim⁹ in vtraque veremur esse rei: quoniam & te præcipis a peccatoribus exorari, nostroque (& si non merito) hoc agendum te præstante tribuitur ministerio. Ergo te Dñe Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui vnicum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum incarnari de virgine constituisti, quo vetustum solueret proprio cruore peccatum; & vitam redderet mundo, ipso opitulante animam fratris nostri (vel sororis nostræ) N. ab ergastulo cœnolentæ materiæ exemptã ab omnibus piaculis quæsumus absoluas. Nullas patiatur insidias occursantium dæmonum, propter quã misisti ad terras vnigenitum Filium tuum. Libera & absolue eama tetra voragine inferni, quam redemisti præcioso sanguine vnigeniti Filij tui. Libera & absolue eam ab æstuantis gehẽnæ truci incendio, collocans in paradisi amœnitate. Non sentiat pijssime Pater quod calet in flammis, quod stridet in pœnis, & quod horret in tenebris: sed munificentiæ tuæ munere præuenta mereatur euadere iudicium vltionis, & beatæ requiei ac lucis æternæ fælicitate perfrui. Per eundem Christum Dominum nostrum. A men.

Alia oratio cum. O remus.

TIbi Domine commendamus animam famuli tui (vel famulæ tuæ) N. vt defunctus (vel defuncta) sæculo tibi viuat, & quæ per fragilitatem mundanæ conuersationis peccata admisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominũ nostrum A men.

His

His dictis dicatur Psalmus. 50.

MIserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: & a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi & malum coram te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne proijcias me a facie tua: & Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exaltabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem vtique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Hierusalem.

Tunc acceptabis Sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Antiph. Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

Qua dicta dicat Sacerdos in auditu omnium.

Pater noster, Pro anima eius, & pro animabus quorum ossa in hoc cœmiterio vel in alijs requiescunt, & pro animabus omnium fidelium defunctorum.

Deindè dicat Sacerdos,

vers. Et ne nos inducas intentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi. Resp. Erue Domine animas eorum.

℣. Ne tradas bestijs animas confitentium tibi. Resp. Et animas pauperum tuorum ne obliniscaris in finem.

℣. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

DEus cuius miseratione animæ fidelium requiescunt, animab⁹ famulorum, famularumque tuarum, hic & vbique in Christo quiescentium, da propitius suorum veniam peccatorum, vt a cūctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per Christū Dominū nostrum. ℟. Amen.

Postea reuertentes clerici de tumulo dicant septem psalmos pœnitentiales, vel psalmum, De profundis pag. 99. cum Antiphona. Requiem æternam.

Sequatur.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleisō. Pater nost. vers. Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi. Resp. Erue Domine animas eorum.

vers. Anima eius in bonis demoretur. Resp. Et semen eius hæreditet terram.

vers. Credo videre bona Domini. Resp. In terra viuentium.

vers. Non intres in iudicium cum seruo tuo (vel ancilla tua) Dñe. Resp. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

SAtisfaciat tibi Domine Deus noster pro anima famuli tui (vel famulæ tuæ) N. fratris nostri (vel sororis nostræ) sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, & Sanctissimi Apostoli tui Petri, omniumque Sanctorum tuorum

tuorum oratio, & presentis familiæ tuæ humilis & deuota supplicatio: vt peccatorum omnium veniam, quam Filij tui Domini nostri Iesu Christi prætioso sanguine redemisti. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus, Per omnia sæcula sęculorum. Resp. Amen.

In fine omnium dimissa voce dicatur sic.

Anima eius, & animæ omnium fidelium defunctorum per Dei misericordiam requiescant in pace, Amen.

BENEDICTIONES AB EPISCOPIS ET SVFFRAganeis faciendæ.

Et primo Confirmatio puerorum.

In primis dicat Episcopus.

vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. Resp. Qui fecit cœlum & terram.

vers. Sit nomen Domini benedictum. Resp. Ex hoc nunc & vsque in sæculum.

vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos (vel has famulas tuas) ex aqua & Spiritu Sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum: immitte in eos septiformem Spiritum Sanctum paracletum de cœlis. Resp. Amen.

Spiri-

Spiritum sapientiæ & intellectus. R. Amen.
Spiritum scientiæ & pietatis. R. Amen.
Spiritum consilij ✠ & fortitudinis. ℟. Amen.
Et imple eos (vel eas) spiritu timoris Dñi ✠ ℟. Amen.
Et consigna eos (vel eas) signo sanctæ crucis ✠ confirma eos (vel eas) Chrismate salutis in vitam propitiatus æternam. ℟. Amen.

Et tunc Episcopus petat nomen, & vngat pollicem Chrismate, & faciat in fronte pueri crucem, dicens.

Consigno te N. signo crucis ✠ & confirmo te Chrismate salutis In nomine Patris, & Filij ✠, & Spiritus Sancti Amen. Pax tibi. Oremus.

DEus qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum; quique per eos, eorum successoribus, cæterisque fidelibus tradendum esse voluisti: respice propitius ad nostræ humilitatis famulatum, & præsta, vt horum corda quorum frontes sacrosancto Chrismate deliniuimus, & signo sanctæ crucis consignauimus, idem Spiritus Sanctus adueniens, templum gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filiũ tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum.

Benedicat vos Dominus ex Sion: vt videatis bona Hierusalem omnibus diebus vestris.

Benedicat vos Omnipotens Deus, Pa✠ter, & Fi✠lij, & Spiritus ✠ sanctus. ℟. Amen.

Benedictio indumentorum Sacerdotalium.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Ista in omnibus benedictionibus primo dicantur.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus qui per Moysen famulum tuum Pontificalia seu Sacerdotalia, ac Leuitica vestimenta, ad explendum ministerium eorum in conspectu tuo, & ad decorum tui nominis fieri decreuisti: adesto propitius inuocationibus nostris & hæc indumenta desuper irrigata gratia tua, ingenti benedictione per nostræ humiliatis seruitutem purifi ✠ care, bene ✠ dicere, & conse ✠ crare digneris: vt diuinis cultibus & sacris mysterijs apta, & bene ✠ dicta existant; hisque sacris vestibus Pontifices, Sacerdotes, seu Leuitæ tui induti, ab omnibus impulsionibus malignorum spirituum muniti ac defensi esse mereantur, omnisque eis vtentes tuis mysterijs aptos & condignos seruire, atque in his placidè in hærere & deuote perseuerare tribue. Per Dominum nostrum, Iesum Christum. ℟. Amen.

Oremus. Alia.

DEus inuictæ virtutis auctor, & omnium rerum creator ac sanctificator, intende propitius: vt hæc indumenta Sacerdotalis & Leuiticæ gloriæ ministris tuis fruéda,

tuo ore proprio bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare & conse ✠ crare digneris: omnesque eis vtentes, tuis mysterijs aptos, & tibi in eis deuotè & amicabiliter seruientes, gratos effici concedas. Per Dominum, &c. A men.

Et aspergat ea Episcop⁹ aqua benedicta: & idem faciat in benedictione cuiuslibet specialis indumenti.

Benedictio specialis cuiuslibet indumenti.

℣. Adiutorium, &c.

Oremus.

DEus omnipotens bonarum virtutum dator & omnium benedictionum largus infusor, te supplices exoramus, vt manibus nostris opem tuæ benedictionis infundas: vt hunc amictum (vel albam, vel cinctorium, vel manipulum, vel dalmaticam, vel casulá, vel pluuiale) diuino cultui præparatum, virtute Sancti Spiritⁿ bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare, atque conse ✠ crare digneris, & omnibus eo vtentibus gratiam sacri mysterij tui benignus concede, vt in conspectu tuo sancti & immaculati, atque irreprehensibiles appareant & auxilium misericordiæ tuæ acquirant. Per Dominum nostrum, &c. A mẽ.

Benedictio Amictus. Oremus.

BEne ✠ dic Domine quæsumus omnipotens Deus amictum istum tam Leuitici quam Sacerdotalis officij; & concede propitius, vt quicunque eum capiti suo imposuerit, benedictionem tuam accipiat, sitque in fide solidus, & sanctitatis grauedine fundatus. Per Dominum, nostrum Iesum Christum. Resp. A men.

Benedictio Albæ. O remus.

DEus inuictæ virtutis auctor, & omnium rerum creator & sanctificator, intende propitius, vt albam Leuiticæ ac Sacerdotalis gloriæ tuo ore proprio bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, atque conse ✠ crare digneris: omnesque ea vtentes tuis mysterijs aptos, & tibi in ea deotè & a micabiliter seruiẽtes, gratos effici concedas. Per Christum Dominum nostrum ℟. Amen.

Benedictio Cinguli. O remus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Aaron & filijs suis Sacerdotali ministerio cingulo cum baltheo in renibus stringi iussisti: adesto supplicationibus nostris, vt omnes tuæ sanctæ operationis ministri hac zona iustitiæ circumsepti, renes lumbosque sancta pudicitia præcingere satagant, atque præualeant, quatenꝰ nec vento elationis, nec frigore iniquitatis tabescant, sed magis ac magis te opitulante confirmari & corroborari ad tibi placita queant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedictio Manipuli. O remus.

EXaudi nos Domine Sancte, pater omnipotens, æterne Deus: vt hunc manipulum sacri mysterij vsui præparatum, bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, atque conse ✠ crare digneris. Per Christum Dominũ nostrum. Amen.

Benedictio Stolæ. O remus.

DEus qui Stolis, predicatoribus collum & pectus muniri iussisti, exaudi nos propitius, vt quicunque tuo[rum] sacerdotum huic stolæ colla subiecerint, quicquid

corde

corde credunt boni, proferant, & quod verbis edocuerint, factis adimplere festinent. Per Dominum nostrum Iesum Christum Resp. A men.

Benedictio Stolæ, & Manipuli simul. Oremus.

DOmine Iesu Christe fili Dei viui, qui pius & misericors, ore tuo sancto & benedicto dixisti; Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue; Stolam istam & manipulum istum, quem famuli tui Sacerdotes & Leuitæ ad ostendendum se seruituti tuæ mancipatos gestaturi sunt, bene✠dicere, sancti✠ficare, atque conse✠crare digneris, quatenus eis vtentes iugum tuum suaue & onus tuum leue sentiant, & animabus suis requiem inueniant sempiternam. Per te saluator mundi rex gloriæ. Qui viuis & regnas cum Deo patre in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. A men.

Benedictio Casulæ. Oremus.

DEus fons pietatis & iustitiæ, qui tui operis ministros ad extremum vestimentorum suorum casula, cuius munimento interius omnia tegerentur, vestiri sanxisti: concede precibus nostris virtutem & bene✠dictionem gratiæ tuæ; vt omnis hac casula iuduti, enumeratis interius omnium virtutum ornamentis, vinculum perfectæ charitatis super omnia habeant & conseruent, quo perficere valeant Sacrificiũ tibi gratum pro viuis & mortuis, & quæ adipisci desiderant, deuota mente implere valeant

præstante

præstante Domino nostro Iesu Christo Qui tecum viuit. & regnat Deus Per. Resp. Amen.

Benedictio mapparum seu linteaminum Altaris.

O remus.

EXaudi preces nostras Domine: & hæc linteamina sacri Altaris vsui præparata, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris. Per Dominum nostrum. Resp. Amen.

O remus.

DOmine Deus omnipotens qui Moysen famulum tuum per quadraginta dies ornamenta, & linteamina facere docuisti, quæ etiam Maria texuit in vsum Tabernaculi fœderis, bene ✠ dicere sancti ✠ ficare, & conse- ✠ crare digneris hæc linteamina, ad tegendum & inuoluendum Altare glorioſissimi Filij Domini nostri Iesu Christi. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio Patenæ.

Oremus (fratres dilectissimi) vt diuinæ gratiæ benedictio conse ✠ cret, & sancti ✠ ficet hanc patenam ad confringendum in ea corpus Domini nostri Iesu Christi, qui crucis passionem sustinuit pro salute omnium nostrum. Qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate. Resp. Amen. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui legalium iustitutor es hostiarum, quique inter eas conspersam similaginem deferri in patenis aureis & argenties ad Altare tuum iussisti: bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, atque con-

secra-

secra ✠ re digneris hanc patenam in administrationem Eucharistiæ Iesu Christi Filii tui, qui pro nostrum omnium salute seipsum tibi Deo Patri in crucis patibulo elegit immolari. Qui tecum viuit. Resp. Amen.

Hic faciat Episcopus crucem cum pollice de oleo sancto super patenam, & mox liniat totam superficiem cũ ipso pollice decem.

COnsecrare, & sancti ✠ ficare dignare Domine patenam istam, per istam vnctionem, & nostram sanctam benedictionẽ, in Christo Iesu Dño nostro. Qui tecum viuit. R. Amen.

Præfatio ad Calicem.

ORemus (dilectissimi fratris) vt Deus & Dominus noster calicem istum in vsum sui ministerii consecrandum, cœlestis gratiæ inspiratione sanctificet: & eum ad habendam plenitudinem diuini amoris accomodet. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Resp. Amen.

Benedictio Calicis.

DIgnare Domine Deus noster calicem istum bene ✠ dicere, in vsum ministerii tui pia deuotione formatum: & sanctificatione perfundere, qua Melchisedec famuli tui sacratum vas vel calicem perfudisti; & quod arte vel metallo effici non potest Altaribus tuis dignum, fiat tua benedictione sanctificatum. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Hic faciat crucem de Chrismate a labio eius in labium cum pollice, & mox liniat & perungat calicem totum intra dicens.

Conse-

COnsecra ✠ re, & sancti ✠ ficare dignare Domine calicem istum per istam sanctam vnctionem, & nostram benedictionem, in Christo Iesu Domino nostro. Qui tecum viuit. Resp. Amen.

ACtiones nostras quæsumꝰ Domine aspirando præueni, & adiuuãdo prosequere; vt cuncta nostra operatio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Resp. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus manibus nostris quæsumus opem tuæ benedictionis infunde: & per nostram benedictionẽ hoc vasculum cum patena sancti ✠ ficetur, & corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi nouum sepulchrum Sancti Spiritus gratia perficiatur. Per eundem. &c. In vnitate eiusdem Spiritus. Resp. Amen.

Vasa sacra & alia ornamenta Ecclesiæ in generali benedicantur hoc modo.

vers. Adiutorium nostrum. Dominus vobiscum.

Oremus.

EXaudi Domine preces nostras clementissime pater, & hæc purificanda vasa & ornamẽta, sacri Altaris atque Ecclesiæ tuæ sacræ mysterij vsui præparata, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare, digneris. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Resp. Amen.

Oremus.

OMnipotens & misericors Deus, qui ab initio vtilia & necessaria hominibus creasti, Templaque manu homi-

hominum facta nomini tuo sancto dicari, tuæque habitationis loca vocare voluisti: quique per famulũ tuum Moysen vestimẽta Pontificalia, & Sacerdotalia, & Leuitica, & alia quæque diuersi generis ornamenta ad cultum & decorem tabernaculi & Altaris tui fieri decreuisti: exaudi propitius preces nostras, & omnia hæc diuersarum specierum ornamenta in vsum Basilicæ tuæ vel Altaris, ad honorem & gloriam tuã præparata, purifica ✠ re, bene ✠ dicere sancti ✠ ficare, atque conse ✠ crare digneris: vt diuinis cultibus sacrisque mysterijs apta & benedicta existant, atq; confectionibus corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi dignis parentur famulatibus. Qui tecum. Resp. Amen. Et aspergatur aqua benedicta.

Benedictio Librorum.

℣. Adiutorium nostrum. ℟. Dominus vobiscum.

Oremus.

DEscendat Domine virtus Spiritus Sancti super hunc librum, qui eum mundando puri ✠ ficet & bene ✠ dicat atque sancti ✠ ficet, & omnium in eo legentium clementer corda illuminet, & verum intellectum tribuat; sed & intelligendo tua præcepta conseruare & implere secundum voluntatem tuam bonis operibus concedat. Per Dominum nostrum. In vnitate eiusdem. ℟. Amen. Et aspergatur aqua benedicta.

Benedictio Thuribuli.

℣. Adiutorium nostrum. ℟. Qui fecit celum &c.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus.

DOmine Deus qui dum Filios Israel in deserto murmurantes ob rebellem suam audaciam dudum vastaret incendium, Aaron Sacerdotem tuum orantem, ac repleto igne Altaris thuribulo tibi incensum ponentem exaudire, eosque de incendio liberare dignatus es: bene ✠ dic quæsumus Domine Thuribulum hoc, & præsta, vt quoties in eo thus adolebitur, votum populi tui boni odoris efficias. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

℟. Amen.

Benedictio Incensi. O remus.

DOmine Deus omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, quorum seruitium spirituale & igneum esse cognoscitur: dignare respicere, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare hanc creaturam incensi, vt omnes languores, cunctæque insidiæ inimici odorem eius sentientes effugiant, & separentur a plasmate tuo quod prætioso sanguine redimisti, vt nunquam lædantur a morsu antiqui serpentis. Per Dominum nostrum. Amen.

Benedictio Corporalis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

Resp. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

O remus

CLementissime Deus, cuius inenarrabilis est virtus, cuius mysteria arcana miraculis celebrantur: tribue quæsumus, vt hoc linteamen tuæ propitiationis bene ✠ dictione

dictione sanctificetur,& ad consecrandum super illud corpus Dei & Domini nostri Iesu Christi filij tui, dignum efficiatur. Per eundem. Resp. Amen.

Oremus.

DEus qui pro humani generis saluatione verbum caro factus es, & habitare totus in nobis non dedignatus es: quique traditori tuo perfido osculum pium dedisti, dū pro vita omnium pius mactari voluisti,atque sindone lineo texto te inuolui permisisti:Respice propitius ad vota nostra qui tua fideliter charismata amplecti cupimus .Quæsumus Dñe sancti ✠ficare,bene ✠dicere,& conse ✠crare digneris hoc corporale in vsum Altaris tui ,ad cōsecrādum super illud siue ad tegendum, inuoluenduuque Sacrosanctum Corpus & Sanguinem tuum Domine Iesu Christe, dignisque pareat famulatibus, vt quicquid sacro ritu super hoc immolabitur, sicut Melchisedec oblatum placeat tibi holocaustum. Et obtineat per hoc præmium, quicunque obtulerit votum. Te quoque humiliter rogamus ac petimus, vt hoc corporale tuæ sanctificationis vbertate, per Sancti Spiritus gratiam purifices & sanctifices, qui te pro nobis omnibus offerre Sacrificium uoluisti. Et præsta, vt super hoc sint tibi libamina accepta, sint grata, sint pinguia, & Spiritus Sancti rore perfusa. Saluator mundi, qui viuis &regnas cum Deo Patre in vnitate eiusdem. ℟. Amen.

Oremus.

DEus qui dignè tibi seruientium, nos imitare desideras famulatū, respice propitius ad humilitatis nostræ

seruitutem, & hoc corporale nomini tuo dedicatum, & seruitutis tuæ vsibus præparatum, cœlestis virtutis benedictione sancti✠fica, puri✠fica, & conse✠cra. Quatenus super illud Spiritus Sanctus tuus descendat: qui & oblationes populi tui benedicat, & corda siue corpora sumentium benignus reficiat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem Spiritus. ℟. Amen.

Benedictio Precariorum.

℣. Adiutorium nostrum. Dominus vobiscum.

Oremus.

DEus omnium benedictionum largus infusor, ac omnis bonæ actionis inspirator: qui omnia tabernaculi fœderis ornamẽta ad deuotionẽ populi, tuo ore proprio fieri præcepisti: te humili prece deposcimus vt hæc oracula siue precaria sanctiatis effigiem prætendentia, & ad deuotè orandam beatissimam virginem Mariam Dei genitricem adaptata, & ad psallendum eiusdem Sanctissimæ virginis psalterium confecta & præparata, illa benedictione perfundas & benedi✠cas, qua olim per manus Sacerdotum vtensilia tabernaculi perfudisti. Et concede vt quicunque in his oraculis siue precarijs ipsam glorioſissimam virginem suppliciter honorare studuerint, aut in his quocunque in loco coram sua imagine prẽces effundere decreuerint, aut eius patrocinium postulauerint: illius precibus & obtentu gratiam, & gloriam con-

consummato vitæ præsentis termino obtineant, & tuæ propitiationis indulgentiam consequantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum. ℟. Amen.

Oremus.

SOlus & ineffabilis, & incomprehensibilis creator, omnipotens Deus, cuius verbo & potestate cuncta sunt creata, cuius dono percepimus quæ ad vitæ remedia possidemus; te supplices obnixis precibus deprecamur, vt de sede maiestatis tuæ hæc oracula siue precaria fidelium famulorũ tuorũ sanctitati conuenientia, tua benedictione & cœlesti sanctificatione perundere digneris, quatenus beneplacitum munus in hisorantium accipias. Sintque hæc oracula siue precaria, in conspectu tuæ clementiæ libenter accepta, sicut Abel alumni tui, vel sicut Melchisedec munera tibi placuerunt oblata, qui in his Beatissimã Dei genitricem Mariam suis Sanctis nititur decorare obsequijs, Filius eius Dñs noster Iesus Christus magna pro paruis recompenset; deuotionem eius accipiat; peccata dimittat; fide eum repleat; indulgentia foueat; misericordia protegat: aduersa destruat: prospera cõcedat. Habeat in hoc sæculo bonæ actionis documẽtũ; charitatis studiũ; sancti amoris affectum: & in futuro cum Sãctis Angelis gaudium adipiscatur perpetuum. Per eundem Dominum nostrum. Resp. Amen. Deinde aspergantur aqua benedicta.

Benedictio ad omnia quæcunque volueris.

℣. Adiutorium nostrum. Resp. Dominus vobiscum.

Oremus

Oremus.

BEne ✠ dic Domine creaturam istam N. vt sit remedium salutare generi humano, & præsta per inuocationem sanctissimi nominis tui, vt quicũque ex ea sumpserit, corporis sanitatem & animæ tutelam percipiat. Per Dominum nostrum. ℟. Amen.

Incipit modus ad signum siue Campanam benedicendam.

IMprimis præsbiter indutus super pelliceo & stola, & cruce præcedente cum clero & populo congregato, dum metallum decurrit pro campana facienda incipit Hymmum: Veni creator Spiritus: cum versu & collecta de S. Spiritu. Quando vero completa est incipit: Te Deum laudamus: & omnes clerici vna voce debent cantare. Et in fine: Da pacem.

℣. A Domino factum est istud. ℟. Et est mirabile.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ACtiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio & operatio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum. ℟. Amen.

Quando volunt pendere, possunt; sed primitus benedicitur & consecratur in modum qui sequitur.

Benedictio aquæ.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Sit

℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc, nunc, & vsque in sæculum.

Oremus.

BEnedic ✠ dic Domine hanc aquã benedictione cœlesti; & assistat super eam virtus Spiritus Sancti, vt cum hoc vasculum ad inuitandos filios Ecclesiæ præparatum in ea fuerit tinctum, vbicunque sonuerit eius tintinabulum, longè recedat virtus inimicorum, vmbra phantasmatum, incursio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruũ, calamitas tempestatum, omnisque spiritus procellarum. Et cum clangorem illius audierint filij Christianorum, crescat in eis deuotionis augmentum: vt festinantes ad piæ matris gremium, cantent tibi in Ecclesia Sanctorum, deferentes in sono tubæ præconium, modulationem per psalterium, exultationem per organum, suauitatem per cymbalum, gentes inuitare valeant in Templum Sanctum tuum suis obsequijs, & precibus exercitum Angelorum. Per Dominum nostrum Iesum Christum, in vnitate eiusdem. ℟. Amen.

Postea debent cantari hi sex psalmi

LAuda anima mea Dominum Psal. 145.
Laudate Dominum quoniam bonus Psal. 146.
Lauda Hierusalem Dominum. Psal. 147.
Laudate Dominum de cœlis psal. 148.
Cantate Domino canticum nouum: laus eius. Psal. 149.
Laudate Dominum in Sanctis eius. Psal. 150.

Et dum cantatur debet Sacerdos lauare clocam de supradicta

pradicta aqua benedicta cum oleo benedicto, & sale benedicto, quod benedicitur sicut in die Dominico.

Deindé dicit orationem sequentem.

DEus qui per beatum Moysen legiferum tubas argenteas fieri præcepisti, quas dum Leuitæ Sacrificij tempore clangerent, sonitu dulcedinis populus monitus ad adorandum te fieret præparatus, quarum clangore hortatus ad bellum tela prosterneret aduersarium: præsta vt hoc vasculum tuæ Ecclesiæ præparatum sanctificetur a Spiritu Sancto: vt per illius tactum fideles inuitentur ad præmium. Et cum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis deuotio fidei, procul pellantur omnes insidiæ inimici. Fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum temperentur. Infesta tonitrua, ventorũ flagra fiant salubriter ac modoraté suspensa. prosternas aereas potestates dextera tuæ virtutis, vt hoc audientes tintinabulũ, tremiscant & fugiant ante sanctæ crucis vexillum. per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem. Resp. Amen.

Tunc debet eam extergere linteo dicendo hunc psalmum. Ex Psal. 28.

VOx Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.

Et com-

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius vnicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum: & commouebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit cõdensa: & in Templo eius omnes dicent gloriam.

Dominus diluuium inhabitare facit: & sedebit Dominus Rex in æternum.

Dominꝰ virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

Gloria patri. Sicut erat.

Post hæc tangere eam debet de Chrismate, foris septies, & intus quater, dicendo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam fœderis per clangorem tubarum muros lapideos quibus aduersantium cingebatur exercitus cadere fecisti: tu hoc tintinabulum cœlesti benedictione perfunde: vt ante sonitum eius longius effugentur ignita iacula inimici, percussio fulminum, impetus lapidum, læsio tempestatum, vt ad interrogationem propheticam; Quid est tibi mare quod fugisti? suis motibus cum Iordanico retroacto fluendo respondeat: A facie Domini commota est terra: a facie Dei Iacob. Qui conuertit solidam petrã in stagna aquæ, & rupem in fontes aquarum. Non ergò nobis Domine non nobis: sed nomini tuo da gloriam. Super misericor-

sericordia tua & veritate tua. Vt cum præsens vasculum (sicut reliqua Altaris vasa) sacro chrismate tangitur & vngitur oleo sancto, quicũque ad sonitum eius conuenerint, ab omnibus inimicorũ tentationibus liberi, semper fidei catholicæ documenta sectentur. Per Dominum nostrum.

Resp. Amen.

Tunc ponit in incensario ignem & thimiama, & thus, & myrrham, erigẽdo clocam supra incensarium vt totum illum fumum colligat, dicendo hanc antiphonam.

DEus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster.

Ex Psalmo 76.

VIderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ: & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.

Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est & contremuit terra.

In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oues populum tuum: in manu Moysi & Aaron.

Gloria patri. Sicut erat. Postea dicit.

℣. Dominе exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

OMnipotens dominator Christe, qui secundum assumptionem carnis dormiente in naui, oborta tempestas maria conturbauit, & protenus excitato & imperante dissiluit: tu necessitatibus populi tui benignus succurre. Tu hoc tintinabulum Sancti Spiritus rore perfunde, vt ante sonitum illius semper fugiat inimicus, inuitetur ad fidem populus Christianus, hostilis terreatur exercitus, confortetur in Domino per eum populus euocatus, atque sicut Dauidica cythara delectatus, desuper descendat Spiritus Sanctus. Atque vt Samuele agnum mactante in holocaustum tuum, rex æterni imperij fragore auratum turbam repulit aduersantem: ita dum huius vasculi sonitus transit per nubila, Ecclesiæ conuentum manus seruet Angelica fruges credentium, & mentes, & corpora saluet protectio sempiterna. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate eiusdem &c. ℟. Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta, & totus populus presens. Et imponatur illi nomen per Sacerdotem, apponendo manus supra, & simul imponunt Patrini & matrinæ qui etiam, post præsbiterium, nominant eã, cooperiendo clocam linteis.

Benedictio ensis noui militis fiat hoc modo.

Interim genuflectente ipso milite coram Altari. Primo dicat Sacerdos sine nota.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus cunctorum in te sperantium protector, adesto supplicationibus nostris: & concede huic famulo tuo qui sincero corde gladio se primo nititur præcingere militari, vt in omnibus galea tuæ virtutis sit protectus: & sicut Dauid & Iudith contra gẽtis suæ hostes fortitudinis potentiam & victoriam tribuisti: ita tuo auxilio munitus contra hostium suorum sæuitiam victor vbique existat, & ad sanctæ Ecclesiæ tutelam proficiat. Per Dominũ nostrũ. ℟. Amen. Alia oratio, cum O remus.

DEus qui trinos gradus hostium post lapsum Adæ in toto orbe terrarum constituisti: quo minus plebs tua fidelis immunis ab omni impetu nequitiæ secura & quieta permaneret: adesto supplicationibus nostris, & hunc ensem (respice) quem inuocatione tui Sanctissimi nominis benedicimus, benedi ✠ cere dignare, vt famulus tuus cui eum te largiente concedimus & accingimus, Hic succingat: accedos militem ense. sic eo vtatur, quatenus hostes Ecclesiæ insidiantes reprimat, & seipsum ab omni inimico tua protectione potenter defendat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deindè aspergat Sacerdos militem ense succinctum aqua benedicta & recedat miles in nomine Domini.

Benedictio carnium in die Paschæ.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus.

DEus cœli terræque dominator, qui das escam omni carni & imples omne animal benedictione: beno ✠ dic &

dic & sancti✠fica hanc creaturam carnis: nobis dona tua sumentibus, animæ & corporis sanitatem concedas. Per Christum. ℟. A men.

Alia oratio. O remus.

DEus qui vniuersæ carnis es conditor, qui Noe & filijs suis de mundis & immundis animalibus præcepta dedisti, quique sicut olera herbarum humano generi quadrupedia mũda edere permisisti, & qui agnum in Ægipto Moysi & populo tuo in vigilia Paschæ comedere præcepisti in figuram agni Domini nostri Iesu Christi, cuius sanguine omnia primogenita tibi de mundo redemisti; & nocte illa omne primogenitum in Ægipto percutere præcepisti, seruans populum tuum agni sanguine prænotatum. Dignare Domine Deus omnipotens bene✠dicere & sancti✠ficare has carnes: vt quicunque de populo tuo fideli ex illis comederint, omnium benedictione cœlesti & gratia tua saturati repleantur in bonitate. Per quem hæc omnia Domine condita sunt & ab initio creata, Saluator mundi. Qui viuis & regnas cum eodem Filio tuo in vnitate Spiritus Sancti, Deus per omnia sæcula sæculorum ℟. A men.

Hic aspergatur aqua benedicta super carnes.

Benedictio carnis, casei, butyri, ouorum, siue pastillarum in pascha. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. O remus.

DOmine Deus omnipotens, qui fecisti & creasti cuncta viuentibus tuæ largitatis alimoniam, humanumque ge-

genus ſpiritualibus eſcis ac poculis tuorum præceptorum, terreniſque ſubſtantijs tuorum donorum indeſinenter reficis: te omnipotentem Deum obnixè petimus, vt hæc dona tua carnis, caſei, butyri, vel ouorum, ſiue cuiuſcunque alterius cibi, quem tu ipſe creaſti & nobis donaſti, perpetua claraque benignitate ſancti ✠ ficare ac bene ✠ dicere digneris. Veſcentibus ex eis largam tuæ benedictionis ſanitatem in viſceribus eorum clementer colloca, & præſentis vitæ ſoſpitatem, & futuræ beatitudinem miſericorditer indulge. Per Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Deindé aſpergat Sacerdos aquam benedictam.

Benedictio ſeminis.

℣. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus creator generis humani, ſuppliciter tuam clementiam exoramus: vt hoc ſemen, quod in tuo ſancto nomine ſaturi ſumus in agris noſtris, cœleſti benedictione bene ✠ dicere & multiplicare, atque ad maturitatem perducere digneris: vt per vniuerſum orbem terrarum collaudetur dextera tua. Per Dominum. Reſp. Amen.

Deindé aſpergatur aqua benedicta ſuper ſemen.

Benedictio pomorum in die S. Iacobi. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DOmine Sancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui ad infirmi mundi ornatum, die tertia lignum pomiferam

miserum facere fructum primo præcepisti, quique amarum vetiti pomi saporem, antiqui serpentis suasu, a patribus nostris gustarum, vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi passione salutari, non sentire posteros filios per Baptismum voluisti, a quo sanitas & omne medicamentum venit: quæsumus inenarrabilem pietatem tuam vt hunc nouorum pomorum fructum, tuo conspectui oblatum bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris: quatenus Sancti Apostoli tui Iacobi, & Martyris tui Christophori (quorum hodie festa celebramus) omniumque Sanctorum tuorum meritis ac precibus, quicunque fideles tui cum gratiarum actione ex eo gustauerint, sanitatem mentis & corporis operante in eis Spiritu Sancto percipere mereantur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem. Resp. Amen.

Item benedictio pomorum.

℣. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

TE deprecamur omnipotens Deus, vt bene ✠ dicas hunc fructum nouorum pomorum; vt qui esu arboris lethalis, & pomo in primo parente iusta funeris sententia mulctati sumus, per illustrationem vnici Filij tui redemptoris, Dei ac Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus Sancti benedictione sanctificata sint omnia atque benedicta: depulsisque primi facinoris intentatoris insidijs, salubriter ex huius diei anniuersaria solemnitate diuersis

terris

benedenda germina sumamus. Per eundem Dominum nostrum in vnitate eiusdem. Resp. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat ea aqua benedicta,

Benedictio ad omnia quæcunque volueris.

℣. Domin⁹ vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

CReator & conseruator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis: tu Domine mitte Spiritum Sanctum tuum supra hanc creaturam N. vt armata virtute cœlestis defensionis, quicunque ex ea gustauerint, proficiant illis ad salutem, & tam corporis quam animæ recipiant sanitatem. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem. Resp. Amen.

Hic aspergatur aqua benedicta.

Benedictiones quarundum aliarum rerum reperiuntur in fine Missalis Romani.

FINIS.

Laus Deo, Virginiq; matri,

& S. Osmundo.

Or rather, one leaf (= index & approbation). This is presumably S.T.C.[2] 16157.5, the issue without the 8 leaves of 'Annotationes' present in STC[2] 16158 (= Syn. 6.60.9, A*. 10^a. 5(D))

Should collate A-X^4 $\bar{a}^2$ ($\bar{a}$2 blank)
$\bar{a}^2$ wanting

Nine leaves gone